8° Z b 25b

Bena

Qb 529.943

THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

The first edition.

COENA DOMINI,
ADVERSVS IODOCI HARCHII, MONTENSIS DOGMATA.

THEODORI BEZAE
Responsio.

GENEVÆ,
APVD EVSTATHIVM VIGNON.
M. D. LXXX.

RBR
3B574C

DE COENA DOMINI, ADVERSVS IODOCI HARCHII MONTENSIS DOGMATA.

Theodori Bezæ Responsio.

CONstituta Sacramenti definitione, & in suas partes, id est, in signa & res significatas, partitione, mihi quidem̃ videntur omnes de Cœna Domini controuersiæ, quibus & nostra & Patrum memoria, tantopere agitatã Ecclesiam videmus, ad has quæstiones commodissimè reuocari.

1 *Quæ sint signa.*
2 *Quæ res significatæ.*
3 *Quæ sit signorum & rerum significatarum analogia.*
4 *Quæ signorum & rerum significatarum copulatio.*
5 *Quomodo percipiantur signa.*
6 *Quomodo percipiantur res significatæ.*
7 *Quæ sint Sacramentorum vsus effecta.*

Nulla est autem istarum quæstionum, quam non deprauarit Satan infinitis modis, vt Sacramenta, vel in contemptum adduceret, ea extenuando, vel ea supra modum efferendo, in Idola transformaret: quò magis omnes Pastores, in quibus & ipse nomen meum profiteor, laborare de asserenda veritate in tanti momenti controuersia decet. De his igitur omnibus, & cũ Papistis, & cũ Anabaptistis, magna quanuis non vnius generis nobis, editam in Heluetia Confessionem vt veram amplexis, contentio est. Cum iis verò qui Lutherani dici, & haberi volunt, duabus tantùm de rebus, nẽpe tum de signorum & rerum significatarum copulatione, tum de rerum significatarum perceptione controuersia superest: quibus de rebus alias à nobis plenissimè, Deo fauente, disputabitur. Nũc verò cum Iodoco Harchio quodam Montensi nobis negotium est, cuius librum Vformatiæ, si vera est inscriptio, ante septem annos editum quum perlegissem, probaui quidem hominis voluntatem, qui hæc à se scripta sedandis istis controuersiis testaretur: sed illum ad tantam causam agendam credidi multo plus iudicij, confidentiæ verò multo minus afferre debuisse. Tacui tamen, & licèt vrgentibus nonnullis vt falsissimo sanè ipsius dogmati, vtpote quo nouæ potius controuersiæ excitarentur, quàm veteres tollerentur, refutationem opponerem, silentio potius eiusmodi scripta esse obruenda respondi. Nullum enim fore arbitrabar, qui tam absurdis

sententiis

sententiis assentiretur: quæ spes quum me fefellerit, cogor amicorum precibus, quàm hæc vana sint demonstrare, id est, pene cum ratione insanire. Adscribam autem primo loco ipsius Iodoci verba ex variis eius libri paginis optima fide descripta, vt quæ sparsim, & prorsus perturbatè scripsit, adeò denig; ἀμεθόδως & obscurè, vt de industria texisse potius quàm apertè suum dogma spectandum proposuisse videatur, melius appareant: & ne quam etiam, homini præsertim, vt audio, iam mortuo, iniuriam in ipsius erratis annotandis, & refutandis, feciſſe me quisquam suspicetur.

Ex pagina 12.

QVÆ precor est illa gratia quam Dominus addidit pani & vino? Respõdet Augustinus vt suprà, Spiritus & vita, hoc est verbum viuificum & Spiritus sanctus. Non igitur amice lector, dat nobis Christus corpus illud suum viuificum, crucifixũ olim, ore in Sacramento manducãdum, sed spiritualẽ suam carnem & diuinam, impalpabilem in visibili hoc suæ carnis nutrimento dat nobis mente potissimùm deguſtãdam, suæ nimirum diuinitatis substantiã: quæ vt vbique est per generalem præsentiam, ita non nisi per verbum & in nobis est per specialem habitationis gratiã, & potissimũ in hoc Sacramento: cui certè carni, vt ait Augustinus, vtrobique debemus quoque specialem latriæ

cultum, externis verò illis rebus, in quibus sic habitat, sanctis scilicet hominibus & Sacramẽtis (ne quis in posterum putet, ea sic contemni debere, vt hactenus factũ est, proh dolor!) speciales venerationem. Substantiam ergo diuinitatis accipimus in Sacramento, & cum hac licèt similem, non tamen eandem numero (& nota) corporis sui visibilis substantiam.

Pagina 13.

In Sacramento solam suam dat tibi diuinitatem, non animatam humanitatem, siue carnem.

Pagina 14.

Spirituale & impalpabile est corpus quod nobis dat Christus in alimoniam spiritualem, in visibili licet suæ carnis Sacramento contentam. Impalpabilẽ igitur dico esse, quod nobis vel extra Sacramentum, vel cum Sacramento, sed fide erutum, & propter certum Dei verbum in panem illapsum, datur manducãdum, & intrò in animam recipiendum realiter & verè.

Pagina 15.

Corpus Christi naturale non suscipitur ore à fidelibus in Sacramento, sed spirituale illud & diuinum: de quo in Threnis capite quarto dicitur, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Id exponens Ambrosius de Sacr. Corpus, inquit, Christi, corpus diuini est spiritus.

tus. proindeverbum illud æternum, quod ca- "
ro factũ est,& Spiritus sanctus, in Sacramento "
nobis proponuntur, & à fidelibus, in animam "
fidei ore admittuntur: quæ tamen mirabiliter "
vnita pani & vino, panem & vinum suo modo "
carnem & sanguinẽ Christi efficiunt: ex qui- "
bus etiam alitur caro Christiani. "

Pagina 16.

Quódnam corpus, precor, Christo vnitum "
est vt homini, nonne corpus diuini spiritus, "
nónne Verbum Dei æternũ, nónne ipsa Chri- "
sti deitas,quæ suo modo dicitur corpus?

Pagina 19.

Magna cum laude asseruerunt hactenus aliquot Euangelici, D. Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Beza, Dathenus noster, Petrus Martyr,Christum, in quantum homo est, non nisi fide & spiritualiter,aut (si mauis) spirituali contemplatione passionis eius manducari. Vnum illis videtur deesse, quòd modum manducandi non adeò studiosè explicarũt. At nos pro modulo facultatis nobis à Deo concessæ, adeò firmiter rationem manducandæ naturalis carnis Christi sola fide & spiritualiter tantùm fieri asseremus,& eius rei modum ita lucidè exponemus, vt amplius non sit futurus (ni fallor) cõtradictioni locus. Quòd si igitur quis, mei consilij ignarus, quærat, cur alienis vestigiis insistens actum agam, Respondeo, frustra

equidem & id attentaturum fuisse, nisi simul id
» quod Neotericis illis Euangelicis defuerat, subsidio veterum Patrum & doctorum resarcire pro spe reconciliationis adniterer. Nam sicuti nemo non multis efferat encomiis illorum & diligentiam, & industriam, qua aliquot Pontificiorum (non enim omnes ita senserunt) impium dogma subuerterunt: ita nemo est, qui nõ dolere debeat, illis tam paruæ curæ fuisse, vt quemadmodum spiritualis, etiam Sacramentalis manducationis & dignitatem patefacerent, & rei veritatem digna veneratione celebrarent. Quum enim nonnulli ex iis videan-
» tur Sacramenta pro nudis signis habere, nec
» vllam rem spiritualem, vim aut energiam cum
» signo realiter cõiungere simul & ineffabiliter,
» & sic diuinam institutionem minuere: verendum est (si animo hoc peruerso & ambitioso fiat) ne parem condemnationem subeant cum illis, qui verbo Domini addunt: & tam rei sint,
» qui vllam Domini carnem, aut (vt melius) vl-
» lam carnis eius substantiã in Sacramento man-
» ducari aut negant, aut dissimulant, quàm qui simpliciter ipsam, quæ in cælo est, dentibus alteri defendunt. Est quidem posterior hæc opinio nefandissima, fateor, & intoleranda: prior tamen non est dissimulãda, nisi Dominum nostrum Iesum Christum, qui se ad infantiã nostram accõmodat, contemnere velimus, qui in

sensibi-

sensibilibus dignatur nobis dare insensibilia & inuisibilia, quia sumus corporei: vnde etiam factum est, vt inter Mart. Lutherum & Philippum Melanchthonem, nunquam satis laudatæ & pietatis & eruditionis viros, tum inter ipsum D. Zuinglium & Oecolampadium, Caluinúmque nulla potuerit hactenus inueniri sarciendæ cõcordiæ ratio. Lutherus enim examinata veterum Patrum doctrina facilè collegit aliquid reale esse cum pane post consecrationem quam vocant, aliquid inquam carnis dominicæ quo aleretur caro Christiani, vt interim anima de Deo satiaretur, Verùm quoniam eam carnem ipsissimum corpus esse voluit, aut voluisse creditus est, quod Christus habet in cælo cum Pontificiis, & (vt paucis dicã) Christum ipsum realiter esse cũ pane & manducari ore: non mirum est si ei restiterunt & fortiter & laudabiliter tũ Zuinglius tum Oecolompadius. Contrà: quum ipse Zuinglius videretur Luthero & suis omnia trahere ad spiritualem manducationem, nihilque reliqui facere in Sacramento quo reuera aleretur præter communem vsum caro Christiani, factum est vt pari obstinatia nec minus laudabili cum conatu illis contradixerit. Interim hac dissensione adhuc in hodiernum diem perdurante, & religio penè abiit pessum (proh dolor) & reuerentia circa Sacramenta penitus intercidit,

& eorundem ſuſcipiendorum feruens & quotidianum deſideriũ penè eſt collapſum. Proinde vt concordiæ aliquam viam inueniamus, neque tamen aut ad ſiniſtram, aut ad dextram veræ doctrinæ viã declinemus, ſpiritu Dei nos per gratiam adiuuante, dicimus ipſum Zuinglium ſimul & Oecolãpadium, alióſque Chriſti manducationem ſpiritualem bene aſſeruiſſe, & magna cum laũde cũ Athanaſio pronuntiaſſe, corpus Chriſti nos ſpiritualiter nutrire è cęlo, quoties vera fide erecti in cœlũ Ieſum Chriſtũ & fatemur & aſpicimus pro peccatis noſtris (quibus tamẽ mori ſtatuimus) quondam natũ, mortuũ tãdẽ & crucifixũ: Cuius reſurrectionis beneficio tũ omniũ bonorũ eius ſimus participes, tũ ſpiritualis carnis & ſanguinis ipſius occulta & potenti opera S. ſancti cõſortes. Et hæc eſt pulcherrima illa diſpenſatio carnis Chriſti, & ſanguinis potatio ſpiritualis, quam ſi fuiſſent edocti Capernaitæ, non ita temerè ad Domini verba exhorruiſſent. Eam quoque ſi & nos hodie reciperemus, nihil horrendi, nihil impij aut doceremus, aut committeremus manducãdo, tãtùm ſub aſſueta recordatione paſſionis Chriſti, ſpiritualiter totus Chriſtus manducaretur, & illius caro veluti in partes comminuta, aut diſtracta in viſcera cordis traiiceretur. Vnde exurgeret in anima mirus charitatis ſapor, mirabile amoris delectamentum.

Pagi-

Pagina 23.

Sacramentum vocatur corpus Christi, ídque non sine ratione. Nam licèt naturale corpus Christi ibi non sit localiter aut corporaliter cum sua anima, sed nomine tantùm, virtute & imagine (vti postea dicemus) ab ea tamen veluti à typo ad veritatem scilicet, ad corporis quod in cœlo est contemplationem inducimur (si cœlestium aliquod nobis supereſt desiderium) vt postmodùm in eius quod est in Sacramento possessionem inducamur.

Pagina 26.

Intelligis igitur & percipis, amice lector, quomodo in pane lateat gratia corporis Christi, lateat eius natura, dotes & virtutes, & quomodo illa erui possint, hoc est manducari, extenta scilicet fide & amore cordis sursum ad signata, priusquã manu visibili & carnali ad signa. Verùm si nec tibi satis est coniungi Christo in virtutibus, in natura aut dotibus, sed vis quoque substantiam corporis ipsius tibi impartiri, & eam habes in Sacramento visibili, habes & eam in teipso.

Pagina 27.

Duæ sunt carnes Christi, non numero, sed natura & specie eadem, & sibi similes (vti dicemus) quarum altera quæ est illi naturalis, & è Maria virgine sumpta, in cœlũ gloriosa ascendit, altera quæ est in Sacramento virtute &

„ potentia, facta ex pane & vino, in alimoniam
„ corporis Christi mystici, hoc est omnium fide-
„ lium quotidie sumpta trãsit, à qua fideles cor-
„ pus Christi dicuntur. Si igitur vis carnis Chri-
sti verum experiri gustum, & tibi non sufficit
Sacramentũ, tuum arripe & deuora brachium.
„ Nam non aliter differt caro Sacramenti à
„ tua carne (modo verè fidelis sis) quàm quod
„ tua est in actu, illa in potentia, vtraque per
„ gratiam.

Pagina 28.

„ In pane est caro potentia similis illi specie,
„ quam ipse gestas in corpore: ergo sumens pa-
„ nem, sumis tuã carnem. Iam quum in panem
„ sese infuderit Verbum viuificum, & Spiritus
„ sanctus, Sacramentum autem hoc sit appara-
tum iis qui Spiritum sanctum habent, & fideles
sunt, denique & per Baptismum regenerati se-
quitur quod fideles, qui in charitate, vnitate,
veritate perseuerant, hinc accipiũt nutrimen-
tum pietatis, veritatis, charitatis, vnitatis, quæ
sunt (teste Augustino) ipsum corpus Christi
„ spirituale. Ista igitur sunt quæ videntur omi-
„ sisse Neoterici aliquot Euãgelici D. Zuinglius,
„ Caluinus, & alij. Omiserunt inquam docere
„ populum (quod seueriter vult fieri Cyprianus)
„ quomodo panis fiat caro Christi, ex qua alitur
„ caro Christiani. Nam in eius rei cognitione
totum pendet mysterium & dignitas Sacra-
menti.

menti. At D. Zuinglium facilè excusabit, o- "
pinor, diuus Cyrillus, qui in Ioan. scribens, lib. " 2. cap. 47. sic ait, Attendamus, obsecro, nos qui " docendi potestatem accepimus, melius esse vt " simpliciter fidem, quàm profundiori ratione " diligentius expositam Neophytis tradamus. " Nam & lacte Paulus nutrit, &c. Ex hoc colligis " lector, nõ apud omnes fidei mysteria esse pro- " mulganda. Proinde satisfecit D. Zuinglius " rudi suo tempori, & populo, iamdudum in ido lolatria submerso, docendo quod Eucharistia non esset Christus, nisi forsitan, eo modo quo petra erat Christus, de qua dicit Augustinus, Petra erat Iudæis Christus, nobis Christus quod super altare ponitur. Iam autem quum " populus Christianus magnos fecerit in fidei " cognitione progressus, aliqua opera succeden- " tium Euangelicorum, sine periculo docere, & " possumus, & debemus, quomodo Eucharistia " sit caro Christi. "

Pagina 31.

Scias Sacramenta non esse nuda signa, aut " illis diuinitatem adesse vulgari modo, sed inef- " fabili. Quocirca etsi certũ est fidelem omnem ali verbo viuifico, & proinde spirituali carne Christi etiam extra cõmunionem, quotiescunque fideli oratione sibi tale alimentum à Patre Deo propter Christum deposcit: Vt tamen Deus imbecillitati fidei nostræ sese ac-

commodaret,& conuentus fidelium ſtabiliret, haberemúſque viſibile noſtræ reſurrectionis ſymbolum in viſibili ſuæ carnis nutrimento
» ſtabilitum, denique vt certo ſui contactu nos
» foris & intus ſanctificaret, voluit quoque,& in
» Sacramẽtalem panẽ ineffabili modo infundi,
» vt tibi corporeo in corporalibus quoque ſeſe
» miſericorditer inſinuaret. Proinde quicunque
» hãc ineffabilem diuinæ maieſtatis præſentiam,
» (nam aliâs etiam ſuo modo vbique eſt) in Sa-
» cramento non docẽt,& annunciant, qua fit vt
» panis, qui potentia caro eſt, in carnis Chriſti
» virtutem & naturam tranſeat, minuit Sacra-
» menti dignitatem, inde & circa Sacramenta
deuotionem: & per conſequens reſiſtere videtur Chriſto præcipienti & dicenti, Accipite &
» manducate. Ipſa eſt ergo diuinitas ſiue ver-
» bum viuificum quod ſe infundit in panem, ma
» nente in cœlo Chriſto, ſic tamen vt illa diui-
» nitatis preſentia cum pane, panem efficiat car-
» nem Chriſti in potentia, ex qua alitur caro
» Chriſtiani.

Pagina 32.

» Carne Chriſti (quæ eſt in Euchariſtia) car-
» nes noſtræ vera nutritione aluntur. Somniant
» ergo (ne quid durius dicam) qui in Cœna Do-
» mini ſolam alimoniam ſpiritualem affectant,
» & ſacramentalẽ ſiue carnalem vel ignorãt vel reſpuũt. Qui cõtra Cyrilli doctrinã Euangelio conſo-

consonam nos vniri tantùm Christo per Spi- "
ritum,& non per carnem affirmant. "

Pagina 32.

Panis & vinum altaris transeunt in virtu-
tem cărnis & sanguinis Christi, virtute ineffa-
bilis præsentiæ diuinæ, aut (quod idem est) ra-
tione mysticæ benedictionis, vt vult Nyssenus,
& Nysseno consentiens ipse Cyrillus.

Pagina 36.

Nota bene amice lector, vt scias quæ fuerit
fides de Eucharistia per vniuersum orbẽ, huius
sanctissimi viri tempore. Credebant enim Eu- "
charistiam esse corpus, siue carnem Christi po- "
tentia, & habere eius imaginem, non tamen "
Christo per omnia similem aut æqualem, sed "
per gratiam siue ad mensuram. "

Pagina 37.

Ergo conclude lector, Eucharistia non est "
Deus: Nam licèt Deus infuderit & coniunxe-
rit se pani ineffabiliter, non tamen assumpsit
eum sibi in vnitatem personæ, vnde verè Chri
stus dici possit : substantia tamen est carnis "
Christi viuifica & creatura nobilissima (fa- "
teor) at vt ait Ambrosius lib. 4. de Sac. creatura
licèt solennis. Vnde etiam patet, quòd non per
vulgarem gratiam adest Deus Sacramento,
sed per mirabilem & ineffabilem. "

Pagina 38.

Panis & vinum altaris per verbum Dei à "

„ legitimè ordinato ministro pronuntiatũ, fiunt
„ mox etiam antè maducationem, caro verbi, &
„ sanguis verbi, non sanguis carnis. fit igitur vi-
num sanguis Christi non formaliter, sed virtu-
te, sanguis inquam Christi non idem numero,
sed specie idem cum sanguine quem Christus
habet in cœlo, vel (vt mox dicemus cum Cy-
rillo) idẽ sanguis per affinitatem: aut cum Epi-
„ phanio, idem per gratiam. Est igitur sanguis
„ potentia non actu, sanguis verbi non carnis.
Nam vt fiat actu sanguis, aut caro, debet man-
ducari non circungestari, & nutritionis ordi-
ne in veram carnem conuerti, & nostræ carni
assimilari.

Pagina 39.

Si panis quem Christus comedebat non e-
rat caro actu ante manducationem, sed poten-
„ tia, ita neque nunc est in altari. Erat quidem
„ & fiebat diuinus in Christo propter diuinita-
„ tem in Christo habitantem. Sic & nunc est &
„ fit diuinus in altari, propter infusam illi diui-
„ nitatem per Verbum. Vnde caro quæ ex pane
„ illo in nobis per concoctionẽ efflorescit, quum
„ sit caro diuina, efficit vt magis simus diuini:
„ quum sit sancta, efficit nos sanctiores. Quod si
„ dicas mihi, cur Dominus igitur vocat sangui-
„ nem, si nõ est verus sanguis, cur carnem, si non
„ est vera caro, & in forma, vt dicunt? Non re-
spondebo tibi vt faciunt Pontificij, qui dicũt,
id fa-

id factum à Domino vt horror carnis euitetur, quoniã horrendum est comedere crudam carnem, propterea voluisse eam Dominũ tegi accidentibus. Nam obsecro, nónne æquè horrendum esset si quis diceret, Accipe, comede, hæc est caro Patris tui tecta saccharo, æquè, inquam, horrendum, acsi non esset tecta? Audi " igitur Augustinum de Genes. contra Manich. affir- " mantem phrasim esse Scripturæ passim vsita- " tam, vt aliquid dicatur esse quod non est, sed " quod vel mox erit, vel esse potest. Informis, " inquit illa materia quam Deus de nihilo fecit appellata est primò cœlum & terra, non quia iam hoc erat, sed quia esse poterat. Nã & cœlum dicitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris postea considerantes, dicamus esse radices, & robur & ramos, & fructus & folia, non quia iã sunt, sed quia inde futura sunt. Innumerabiles tales loquutiones in Scripturis diuinis reperies. hæc Augustinus. Ex quo di- " scis lector nihil esse absurdum quod dicimus, " panem Eucharistię nõ esse carnem actu, etsi sic " appelletur, sed quia manducatus ab homine " fideli, & eo qui est corpus Christi, transit demũ " in carnem actualem, vt sic dicam, licèt antea " vim, virtutem, energiã carnis Christi habuerit. "

Pagina 42.

Duo genera sunt eorum qui manducant " corpus Christi, vnum infidelium & hæretico "

„rum, qui totum quidem Sacramentum man-
„ducant & proinde corpus Christi, sed nomi-
„ne & Sacramento tenus: alterum eorū qui in
„vnitate fidei in Ecclesia perseuerant, & hi rem
„accipiunt Sacramēti (vnitatis fidei donum sci-
„licet:) quæ quoque (vt alibi Augustinus) nonnullis
„cedit ad vitam, aliis ad mortē. Tertium restat,
„& est eorum qui & Sacramentum & rem, &
„fructum Sacramenti (qui est Spiritus sancti &
„caro Christi spiritualis) percipiunt.

Pagina 45.

„ Corpus quod dat Dominus vel contem-
„plationis fideique ore suscipiendum, citra pa-
„nem visibilem extra cœnam nobis orantibus,
„vel quod in Ecclesia dat cum vel in pane, est
„corpus Verbi æterni, quod tamen in panem il-
„lapsum mirabili & ineffabili modo, panem fa-
„cit transire in substantiam illius carnis, quam
„sursum euexit in cœlum, éstq; cum ea eiusdem
„generis caro, ex qua verè alitur carnis nostræ
„substantia. Manet ergo substantia vini, licèt
spirituali mutatione transeat in naturam san-
guinis Christi. Sic stabilitur pulcherrima & mi-
nime horrenda māducatio carnis Christi, eius,
inquam, carnis quę fit ex pane & vino, & est in
Sacramento.

Pagina 45.

Si igitur qui Augustanæ sunt confessionis de
tali substantia carnis Christi intelligunt, quum
docent

docent in suis Catechismis, Christum verè, scilicet secundum diuinitatem, & substantialiter per substãtiam carnis, quæ fit ex pane & vino, per gratiam adesse Sacramento, nihil absurdi aut à Scriptura, aut à Patribus alienum hactenus docuerunt.

Pagina 47.

Panis Eucharistiæ est caro Christi potesta-» te & virtute non actu, per gratiam, nõ per na-» turam, denique caro quæ facta est ex pane &» vino, nõ quæ ex purissimo Mariæ virginis san-» guine, nisi speciem accipias pro indiuiduo, aut» partem pro toto, qua ratione dicebat Augu-» stin. Accipe in pane quod pepẽdit in cruce, &» bibe de calice quod effusum est de latere. Nam» reuera diuinitas & æternum Dei verbum su-» mitur cum pane, quod aliquando pependit (lo-» quendi quodam modo) in cruce.

Pagina 48.

Quocirca certum nunc est eos errare qui» nihil agnoscunt in pane aut carnis dominicæ,» aut maiestatis diuinæ. Deinde & eos grauiter» falli, qui eandem numero substantiam carnis» Christi ponunt in Sacramento cum illa quæ est in cælo. Proinde fœde, & forsitan damnabiliter nonnulli, qui Augustanæ sunt confessionis, in tali sententia persisterent. Licèt enim (vt bene dicit Cyrillus in Ioãnem) Christus & spiritualiter & carnaliter sit vitis, nos palmites,

vnde Christus nostri generis carnē habet, & nos quoque eiusdē substantiæ carnē cum ipso habeamus, proinde vnū simus vnitate in Christo, sicuti palmites eiusdem substātiæ sunt cum trunco & vite, palmes tamen truncus non est, nec Petrus Christus est: quare etiā & hoc in fe-
„ ro, quòd etsi substantia panis mirabili infusione
„ diuinitatis facta sit substātia carnis Christi, propterea tamen panis Christus non est, nisi nomine & per gratiam, nec eius caro, nisi natura & specie.

Pagina 49.

Quod ad me attinet, & credo, & ad mortem vsque credam in re Sacramenti, & aliis fidei mysteriis (Deo iuuante) Cypriano, Iren. Neocæsarienſi, Aug. Orig. Athan. & eiusmodi tum sibi consentientibus in hac re, tum Scripturæ. Præterea concordi voce docētibus, quod Sacr. corporis Christi aliquo modo corpus Christi est, quem modum ex Nysseno explicauimus.
„ Ex quo didicimus ratione mysticæ benedictio-
„ nis, quam accipimus in pane & vino, nos vni-
„ ri Christo per carnem, vt homini, & per S.S. vt Deo. Et licèt quoque id quotidie fiat spiritualiter citra Sacra. fit tamen per Sacr. ad imbecillis fidei nostræ robur magis efficaciter. Quum enim per peccatum contra conscientiam siue mortale quis Spiritum sanctum contristauit, & à se expulit, vt nonnisi præuia pœnitentia eaque

que ſeria propter Ieſum Chriſtum fide reuocatur, ita ſi reuocatum & quaſi redeũtem percipere certo argumento volumus, multo melius id ex Sacramẽto, cui ſeſe infudit cum Verbo ineffabiliter, quàm ex ſecreto illapſu cognoſcemus. Adeunda igitur eſt Eccleſia, & panis ille ϑπλσπ@ à Domino de ſacerdotis manu petendus & ſuſcipiendus, tũ ad redeuntis gratiæ ſanctíque Spiritus certitudinem, tum ad augmentum noſtræ fidei, quinimò ad ſpiritualis potiſſimum alimoniæ incrementum.

Pagina 53.

Quanto melius omnes Patres, qui conſtituunt panis ſubſtantiam, qui, quum ſit poteſtate caro, acceſſione Verbi viuifici tranſit in carnem diuinam, & proinde in Sacramẽtum carnis Chriſti. Sic iuxta id quod habet materiale Euchariſtia tranſit in nos, iuxta id quod habet ſpirituale, tranſimus in illud & ſimus ſpirituales, quia hac ratione paſcimur carne Chriſti ſpirituali, ſpiritualiter tamen.

Pagina 53.

Eſt Chriſtus in nobis propter affinitatẽ carnis qua illi coniungimur. Audis affinitatẽ carnis, vt ſcias ſubſtantiam carnis quę eſt in Sacramento, & qua alitur caro Chriſtiani, non eſſe eandem identitate numerali cum Chriſti carne, ſed eiuſdẽ generis & naturæ, ſiue ſimilem, ſimilem dico, non ipſam eandem.

Pagina 54.

Duæ proinde Christi carnes siue duo illius corpora mãducari debent, si vera & animę corporique salutaris communio celebrari debet. Vna est Christi caro quæ in cælo est glorioſa, quæ sola fide & contemplatione desiderióque
» virtutum manducatur, & è qua mystica bene-
» dictio siue spiritualis caro & in panẽ & in nos
» tempore Cœnę præsertim, defluit. Altera est
» caro Sacramenti visibilis & tangibilis, quæ &
» ore & fide (nam habet aliquid quod per istud
» os intrare debet) manducatur ad corporis, &
» animæ potissimùm, nutritionem.

Pagina 55.

» Vsitatus cibus Christi erat panis, qui sicuti
» propter habitantem in Christo diuinitatẽ fie-
» bat diuinus quum mãducaretur, ita noster pa-
» nis propter verbum illi additum per verbum,
» Hoc est corpus meum, trãsit in naturam Ver-
» bi, & quum sit caro potentia, fit caro Christi
» qui est verbum Dei: proinde caro diuina, pro-
» pter habitantem in ea diuinitatem. Dicet hîc aliquis, Si diuinitatis præsentia in pane aut vino facit panem esse Sacramẽtum carnis Christi, ergo omnis panis etiam communis, est Sacramentum corporis Christi. Nam si diuinitas omnia implet & vbique prẽsens est, ergo etiam in omni pane & omni vino: quid igitur opus pane altaris? Audi amice lector, quid respõdet

Augu-

Augustinus epistola ad Dardanū. Vbiq; quidē inquit,& totus est Deus per diuinitatis prę-sentiā:sed nō vbiq; per habitationis gratiā: deinde etiā in quib⁹ habitat nō æqualiter habitat: nam vnde alij aliis essent sanctiores, nisi abundātius habendo in se habitatorem Deum? hæc ille.Est » proinde (fateor) Deus in pane tuo vulgari per » diuinitatis præsentiā, sed non per habitationis » gratiā: proinde nec corporis & sanguinis Do-» mini proprium Sacramentum. *Pag. 56.*

In altari tria proponuntur, aut potius quatuor, vt lucidioris doctrinæ gratia omnia explicemus. Primò vides panem, quem qui solo ore sumunt,si animalia fuerint irrationalia, sumūt solùm ad beneficiū prę-sentis vitæ,si fuerīt rationalia sumūt illū etiā & ad eū finē,sed quæ » si in infidelitate perstiterint,quū etiā sumāt cū » pane Deū per generalem prę-sentiā diuinitatis, » iudicē accipiunt nō Saluatorē.causam si requiris, respōdeo cū Paulo, O altitudo diuitiarum scię̄tiæ & sapiętiæ Dei.& venio nūc ad fideles. » Ex his igitur sunt qui accipiunt panē, cui vnita » est diuinitas per habitationis gratiam: sed quia » talis nonadest nisi operante Spiritu sancto, tria in altari proponūtur, panis ex cuius simili sub-» stantia aucta est substantia corporis Christi,di-» uinitas fauorabilis,tertiùm Spr.sanctus.Fidelis » ergo credens ęternum Dei filium incarnatum, » si fuerit extra peccatum mortale, suscipit ore »

ſubſtantiam carnis, cui adeſt diuinitas Chriſti fauorabilis ſiue per habitationis gratiã: proinde Patrem habet in ſe habitantem & Filiũ per fidem. Iã cùm Spiritus ſanctus efficiat & operetur, vt hoc pacto adſit Deus pani Sacramentali, ſi dilexerit Chriſtum, accipiet etiam ſimul in ſe operantem Spiritum ſanctum. quòd ſi diliget Chriſtum, diliget quoque domum habitationis Chriſti: ac cum Chriſtum credat ex mortuis rediuiuum iam relicta terra in cælos aſcendiſſe, debebit quoque relictis terrenis ad ſpiritualia contendere, hoc eſt tranſire à vitiis ad virtutes, quarum ſumma eſt Charitas: ergo charitate & dilectione retinetur & totus poſſidetur Deus. Quum igitur ſint qui plus, alij minus diligãt, fit (teſte Auguſtino prędicta Epiſtola ad Darda.) vt alij aliis ſint ſanctiores, abundantius habendo in ſe habitatorem Deũ:
„ vnde fit (forte) vt quum panis abundantiſſi-
„ mè habeat in ſe Deum, meritò Sanctum ſan-
„ ctorum dicatur. Qui igitur nihil diligunt (ſunt autem illi omnes qui in peccatis mortalibus perſeuerant & fide hiſtoriali tantùm credunt in Chriſtum) hi præſentiæ diuinitatis Chriſti beneficio indigni ad iudicium æternæ mortis accipiunt Sacramentum. Verùm de his toto hoc libro non loquimur, vtpote ad quos non pertinet cœleſte hoc de quo loquimur nutrimentum.

Pagi-

Pagina 62.

Si rectè communicamus, ad Christum sursum mentem dirigere debemus, quia nimirum eum realiter esse in pane non credimus, non quòd nihil sit in pane verbi viuifici & spiritualis alimoniæ, sed quia quicquid ineſt quod ineſt, & in nos & in panem à sancta Christi carne defluere debeat, veluti lumen à Sole.

Pagina 63.

A Christo veluti maternis mamillis defluit in nos panis Angelorum, & sic Verbum in nobis fit caro per habitationis gratiam non per illam vnionem admirabilem & hypostaticam quæ facta est in Christo in Mariæ virginis vtero benedicto. Quoniã ergo hoc verbũ viuificum quod in solo Christo filio Dei corporaliter habitat, à sancta carne Christi, quæ totam viuificandi vim hausit, & in Sacramenta, & in nos defluere debet: non mirum si appositè dixit Raban. & Augustin. quòd si rectè communicamus, ad Christum, qui in cælo est, mẽtem dirigere debemus, vt ex ipsius sinu æternum Verbum exugamus. Proinde sicuti hæc diuinitas est quæ in Christo corporaliter habitans, & hypostaticè ineffabilitérque illi vnita Christum facit Deum absolutè, semper salua hominis proprietate & natura: ita illa eadem miro modo de plenitudine sanctæ carnis Christi aut in nos aut in panem Cœnæ dominicæ infusa,

» propter fidem & verbum Dei, facit panem &
» nos diuinos quidem, sed non simpliciter deos,
» quia per gratiam & per mensuram, item &
Christos, at nec id simpliciter, sed panem per potentiam & virtutem, nos verò actu tales, de quib. dicitur, Nolite tangere Christos meos. Hinc etiã sequitur, quòd sicuti nec nostra, ita nec caro Sacramenti est naturalis caro Christi, licèt specie & natura sit illi similis.

Pagina 65.

Fatendum est igitur quòd latet aliqua caro sub accidentibus panis, & sanguis sub accidentibus vini. Sed antea probauimus, quòd illa caro non sit actu, sed potentia, deinde quòd non sit ipsissima numero caro D. Iesu Christi, sed species illiúsque imago, non visibilis, sed intelligibilis.

Pagina 66.

Vides lector Eucharistiam esse Christũ quidem, sed in imagine intelligibili, nõ omnimoda veritate? Accipe familiare exẽplum vt melius intelligas (vulgò enim loquor, non doctis
» ipse indoctus.) Accipiat sacerdos infantẽ iam
» iam baptizatum & nudum, efferátque eum ad
» altare supra humeros & caput, & dicat Deo Pa
» tri, Suscipe sancte Pater corpus hoc filij tui.
» Certè non mentietur. Est enim infans ille verum corpus Iesu Christi, & quem dicere possis iure adoptionis esse Christũ. At obsecro nónne me-

ne meritò conſpuendus eſſet ſacerdos ille, qui eum puerum & proponeret & contenderet adorandum? Nemo negat, opinor, ſed quare? (petit aliquis) Reſpondet prudentior, Quia etſi » ſit Chriſtus, gratia eſt Chriſtus, nō natura, etſi » ſit vera caro Chriſti in imagine, tamen non veritate: etſi ſit Deus, participatione tamen, non eſſentia.

Pagina 67.

Qui panem videt, quodammodo videt cor- » pus humanum, qui panis in corpore exiſtēs fit » caro & tranſit in corpus. Eſt igitur panis ima- » go, intelligibilis ſcilicet, non lineamētis mem- » brorum inſignis: eſt inquam imago ſignum ſi- » ue character naturalis carnis Chriſti, interim » non nuda imago, ſed impleta Spiritu ſancto » & caro diuina. »

Pagina 68.

Caro Chriſti animata, coniuncta eſt in cælo hypoſtaticéque vnita diuinitati: at caro Sacra- » menti etſi habet diuinitatem coniunctam per » habitationis ineffabilem gratiam, animata ta- » men non eſt, actionibúſque animalibus perfi- » ciendis idonea, ne in impiam illam & ſceleratam de manducando homine opinionem incidas.

Pagina 70.

Quocirca vt paucis totum de Sacramento conciliemus negotium, diligenter animaduer-

tendum, quòd aliud sit sumere carnem Christi quæ fit ex pane & vino, aliud carnem Christi manducare, quæ est in cælo. Siquidē hæc manducatur sola fide vt ostendimus, ad recordationem mortis quam Christus passus est in ea carne, ad æmulationem virtutum quas in Christo contemplamur, denique ad immolationē spiritualem pro impetranda nostri apud Patrem
" reconciliatione. At caro Sacramēti, quæ etiam
" carne spirituali Christi perfusa est, & quæ à
" palpabili carne Christi in panem defluxit, &
" ore & fide suscipitur, licèt non tam ad corpo-
" ris quàm animæ nutritionem, & potius ad fidei & charitatis quàm ad ossium incremētum. Præterea caro siue corpus Christi quod in cælo est, animatum est, nec descendit in panem tempore Cœnæ, deinde veris membrorum lineamentis distinctum est, & potens proprios motus exercere. At caro quæ quotidie ex pane & vino creatur, & de altari à fidelibus sumitur, natura quidem est similis carni illi, quam
" habet Christus in cœlo, viuifica nimirum ra-
" tione viuificantis diuinitatis, quæ sese in pa-
" nem infudit & commiscuit ineffabili modo: interea potentia tantùm homo est non actu, virtute caro non formaliter, & denique diuina quidem caro, sed non Deus. Ex quibus omnibus iam sufficienter probatis poterit forsitan redargui D. Zuinglij de Sacramento doctrina,

quæ

quæ non tantùm illi tribuit quantum debet. Poterit reprehẽdi quoq; & Augustana, quam vocant confessio, quæ ita substantiam carnis Christi in Sacramento stabilit, vt inde inferat quòd cum pane adsit Christus verus Deus & homo. Verùm hic illorum error hinc (opinor) ortus est, quòd initio seipsos maluerint sequi quàm Patres, à quibus facilè didicissent, quòd « ratione Verbi viuifici mirabiliter vniti cum « pane, panis substantia transit in naturam car- « nis Christi: quæ substantia non est illa eadem « numero & dignitate par cum ea quam habet « Christus in cœlo, sed specie eadem. Quod si « hac similitudine vti licet pro stabiliendis Patrum dictis, Nónne ouum est imago quædam gallinæ? & qui videt ouũ intellectu videt gallinam. Nemo tamen dicat ouum esse gallinam ipsam, quæ ouum posuit. Deinde etsi gallina sit in ouo substãtialiter & virtute, non tamen actu & formaliter. Præterea nec substantia gallinæ eadem est numero cum substantia oui, licèt specie non differat.

Pagina 71.

Eucharistia est corpus Christi symbolicum & typicum, quod & boni & mali comedunt, sed ratione & vtilitate dispari. Qui enim « mali habent quandam fidem, comedunt Sa- « cramentum ad aliquod bonum vitæ tempo- « ralis: sed quia non diligunt Christum imitan-

do, quem credunt incarnatum, quondam mortuum, & nũc in cælo glorioſũm, quia inquam non ea fide quæ diligit, ſic eum comedũt, propterea nihil illis prodeſt Sacramenti comeſtio ad vitã æternam. Inde nec mali, multò minus infideles, dicuntur comedere corpus Chriſti.

Pagina 73.

Si quis eſt igitur qui ſic eum intuens credit in eum, & pertæſus ſuæ ſceleratæ vitæ dolet de ſua inobediẽtia, ob quam ſcit filium Dei pati, ſiquis eſt qui carnis ſuæ impudicitiam deteſtatur & fœditatem, appetítque ſimilem carnem illi quam in Chriſto contemplatur, pœnitet quòd omiſerit præſentiæ diuinæ ſolatium & gratiam, vellet quoque ſibi reſtitui Spiritum ſanctum, admoueat manum ad Sacramentum, & illud manducet ore & corde. Sic „ enim & in carnem corpúſque excreſcet illi „ ſimile, quale Chriſti eſt, particépſque erit di- „ uinitatis, & Spiritus ſancti, corporis, ſiue carnis & ſanguinis Domini. Sic ſicuti non nuda ſymbola carnis & ſanguinis Chriſti accipiet, ita non ipſiſſimam carnem & ſanguinem Chriſti, quam fide intuetur & contemplatione in ſtomachum detrudet. Valeant proinde qui hoc horrendum dogma adferũt in Eccleſiam, va- „ leant & qui Sacramenta tam parui æſtimant, „ vt in ea nec mirabiliter præſentem diuinita- „ tem agnoſcant, nec operantem Spiritum ſanctum

ctum ſuſcipiant. Scio doctiſſimum OEcolampadium in ea non fuiſſe opinione: cuius verba ſanè pia & catholica poſtea apponam. Scio & Petrum Martyrem in ſuis ſcriptis latentem in Euchariſtia diuinam virtutem agnouiſſe,& in eo præſertim libello quem de Euchariſtia edidit ad Archiepiſcopum Cantuarenſem, cuius hæc ſunt verba. Non mihi magnopere placet, inquit, quod noſtri tam paruam faciunt mentionem mutationis panis & vini, ad quem Patres diligenter reſpiciunt, nec eam dedignantur Scripturæ,cum Paulus vocet Sacramenta, non ſimpliciter panem, ſed panem Domini. Eſt enim in eis virtus quædam latens, quam „ non habent ex ſeſe, ſed ex inſtitutione Domi- „ ni, tum ex virtute Spiritus ſancti, tum & ex „ verborum prolatorum efficacia. hæc ille. Nec „ potuiſſet Auguſtinus multo plura aut auguſtiora de Sacramento dixiſſe. Iam ſcio quoque & his poſteriorem licèt,eruditione non imparem(ſi rectè iudico) Theodorum Bezam idem fortè ſentire, cuius hæc ſunt verba aduerſus Veſtphalum virum quendam doctum. Auguſtinus ſatis indicat abſentiã verę carnis Chriſti à Sacramento,licèt ſpiritu præſens ſit in verbo (inquit.) En & diuinitatem & Spiritum ſanctum fatetur cum pane. Reſtaret tantùm(cum venia dico) vt conſentiant ad pacem Eccleſiæ cum antiquitate, & ad reuerentiam religionis

circa Sacramenta, vt in Catechismis doceant,
» quomodo ipsa diuina maiestas ineffabili mo-
» do sese infundat Sacramentis, quomodo ibi
» reuerà adsit nõ per generalem diuinitatis præ-
» sentiam tantùm, sed (operante id Spiritu san-
» cto) per specialem & admirabilem habitatio-
nis gratiam. Cuius ratione, panis altaris poten
tia alioqui caro, transit in naturã carnis Chri-
sti, non tam corporali quàm spirituali transi-
tione, vnde panis fit substantia corporis, siue
carnis Christi. Hæc omnia concinnè breui-
térque, sed paulò intricatius asseruisse videtur
confessio Augustana, quæ dicit, quod Cœna
Domini est communicatio corporis & sangui-
nis Christi, in qua Christus verè & substantia-
liter adest, & (vt Melanchthon in Apologia
explicat) non solùm efficacia, sed etiam sub-
stantia. Verè nánque adest, vt ego (pace illorũ)
explico, ipse Christus per verbum viuificum
& per diuinitatis substantiam, à qua non abest
Spiritus eius. Huius diuinitatis mirabiliter
præsentis ratione, fit vt panis ipse altaris, qui
ante verba Domini indeterminatæ speciei cor
pus siue caro erat, fiat substantia corporis
» seu carnis Christi, mirabili quadam, quia spiri-
» tuali mutatione. Vnde etiam Christus adest
» substantialiter, hoc est per eiusdem non nu-
» meri, sed speciei substãtiam, si carnem spectes,
» alioqui reuerà per eandem substantiam diui-
nitatis

nitatis & Spiritus, cuius respectu Ecclesia verum corpus Christi est, & Christus ipsum caput. Sic (si illorũ mentem assequor) non ipsum Christum (qui in cœlo tantùm est, saltem in vno loco cœli vt homo) ponunt localiter in Sacramẽto, sed tacitè cum Epiphanio gratiam corporis Christi in Eucharistia annuntiant, quam nomine tantùm, si corpus naturale spectes, & re si corpus Christi mysticum intuearis, appellant carnem Christi, quæ potentia interim caro eius est non actu, gratia non natura, ex pane & vino futura in nobis, non realiter immediatè, & simpliciter ex virginis Mariæ benedicto sanguine.

Pagina 79.

Fis proinde naturalis carnis Christi particeps per hoc Sacramentum, non carnem eius naturalem, aut tangendo, aut in stomachum admittendo, sed fide ante omnia eliciendo in panem & vinum delapsam à glorioso, quod » sursum est, Christi corpore viuifici verbi vir- » tutem. »

Pagina 80.

Non ergo descendit caro Christi in panem, sed verbum de Deo verbo, & virtus illa nos vi- » uificans à sancta carne Christi, & in nos, & in » panem tempore communionis à supernis de- » fluit. Sed nota bene, in hoc differimus, & nos à pane, & panis à nobis, quod panis fiat verè

caro Christi, nos vera caro, vterque alioqui per gratiam, licet fortè propter fidei defectum ina qualem, & vt vno verbo absoluam, Panis est potentia & virtute caro Christi, nos actu tales simus, etiam extra Sacramentum.

Pagina 82.

Quæ diligenter nota, vt partim scias non ita contemnendum panem Sacramentalem, vt hactenus horrendè fecerunt nonnulli, qui eum *Iean le blanc* vocarunt, quem Chrysostomus dicit Spiritu sancto vndique circumuestitum: partim vt credas, certissimè aliquam esse mutationem in ipso pane Sacramentali, non quidem ex dignitate sacerdotis verba Christi pronuncianti succedentem, sed certis Christi verbis, & institutione firmatam. Errãt proinde nonnulli in hoc parum Euãgelici quidam, qui Eucharistiæ panem in eo tantum differre à pane communi asserunt, quia in alium & sanctum vsum transfertur. Non enim propter id solùm, sed (vt disertis verbis omnes Patres dicunt) quia mirabiliter, potenter, ineffabiliter panis fit caro Christi, mutata quidem natura, sed seruata forma, & substantia in diuinam abeunte naturam (ait Gelas.) non tamen pereunte.

Pagina 86.

» Carnaliter & aliquo modo vnimur Christo
» per carnem, quia panis est eiusdem naturæ caro

caro cum carne Christi, quandiu mirabi-„
lem hanc habet in se præsentiam diuinita-„
tis & Spiritus sancti. Igitur coniunctio hæc„
mirabilis diuinitatis cum pane, mutat panis„
substantiam in substantiam carnis Christi. Est„
proinde panis & tamẽ alius, quia diuinus, quia
viuificus, & (quòd mireris) quia panis simul
& caro est, panis forma, caro virtute.

Pagina 87.

Accipis quidem elementum cui acceſſit verbum & proinde Sacramentum, sed non (vt rem) fortè ita virtutẽ accipis Sacramenti. Nam panem quidem sanctificatum virtute mysticæ benedictionis intromittis, sed Spiritum Dei sanctificantem non admittis.

Pagina 88.

Sicuti certus est & infandus aliquot Pontificiorũ de trãssubstãtiatione error, ita nonnul-„
lorum quoque Euãgelicorum præposterus ze-„
lus (si modò zelus est) reprehendendus est, qui„
putant nullam esse mutationem in pane, nul-„
lam ad eum accessionem diuinitatis fieri mira-„
bilem. Denique non nisi in actione panẽ san-„
ctificationis gratiam retinere. „

Pagina 89.

Viuifica gratia perpetuo manet etiam in re-„
liquiis communionis. Nec valet quorundam„
argumentum qui dicũt, quòd sicuti Baptismus
tantum valet in vsu, ita nec Eucharistia, quo-

niam generatio est actio transiens, at alimentum res manens. Proinde vt bene monet Oecolampadius contra Melanchthonem, quandiu, benedictus panis seruire potest esui, tamdiu ad sanctimoniam est vtilis, à quo nunquã separatur Spiritus & viuifica gratia. Quapropter (adiicit) hesternis reliquiis sãctificari ęgros non negamus, tametsi in Ecclesia id fieri hortamur, vt verior sit Cœna dominica. Hactenus Oecolãpadius & sanè & catholicè sentit de hac re, vti certè (opinor) de omnibus aliis religionis articulis, docens viuificam gratiam & Spiritum sanctum non abesse vnquam à Sacramentis, quandiu illa terrena elementa manent incorrupta. Et certè quid alioqui (precor) deferebant Diaconi ad absentes, teste Iustino in Apologia? Quid petiit Serapion sibi transmitti per presbyterum, narrãte Eusebio? Quid seruabat vxor Tertulliani domi suæ? Quid portabat frater Ambrosij transfretaturus mare? Quid in eremo solitariam vitam agentes à seipsis accipiebant communicantes vbi aberat sacerdos? teste Basilio in epistola ad Cæsar. Quid accipiebant Diaconi in Ecclesia, præcipiente concilio Nicæno, & dicente, Proferant ipsi, si presbyter non adsit qui eis porrigat, & edant? Vidésne, lector, quòd & tunc seruabatur Eucharistia, & quòd hodie etiam non malè seruatur in templo Christianorum? Si Sacramentum

tum est verbum visibile, quid loquitur intuentibus, nónne Hoc est corpus meum, licèt per gratiam & virtutẽ, vt ait Epiphanius? Aderítne igitur gratia & veritas corporis Christi ipsi signo & Spiritus Sacramento? aderit certè (vt ex Cyrillo didicimus) aderit inquã, modo adsit obedientia, hoc est si sumatur, aut ad mãducationis finem asseruetur. Aliâs adest quidem aliis, sed tibi non adest: recessit, qui tamen est vbiq;: mortem ibi reliquit qui omnia viuificat, & diabolo locum dedit qui omnem alioqui locum implet. Denique semper illi adest spiritus & vita, sed tibi aut nõ credenti, aut mysterium non iutelligenti, solus est panis, solũ est vinum, ait Augustin. in Ioan. tract. 26. Quòd ergo olim pij Christiani in Ecclesia priùs sumptæ Eucharistiæ portionem domum aliquando deferebant, quòd ad ægros quoque eam deportabãt, quoniam ad manducationis finem & reconciliationis cum Ecclesia signũ tendebat, non aut superstitionis aut adorationis, indulgentia fuit charitatis (opinor) non inobedietiæ peccatum. Vnde hoc intuitu suaserim ab iis idem fieri, qui nondum in fide ad plenum sunt confirmati.

Pagina 90.

Vnde fit vt non possim non approbare illarum Ecclesiarum morem in Germania reformanda & pium, & sedulum, qui vt frequentissimè Cœnam Domini celebrant, ita etiam po-

ſcentibus Euchariſtiam infirmis benignè illis eam impartiuntur.

Pagina 92.

» Diuinitas ſiue verbum Dei æternum, ineffa-
» bili modo in panem illapſum, per mirabilem
» gratiam nimirum (alioqui etiam vbique eſt per
» potentiam & prouidentiam) panem mutat in
» virtutem carnis Chriſti, cuius energiæ ratione,
» non immeritò vocatur caro Chriſti, & corpus
» eius. Cæterùm hæc myſtica benedictio ſiue hic
» Spiritus ſancti afflatus, à ſacra carne Chriſti è
» ſupernis in nos & Sacramenta defluit.

Pagina 93.

» Caro Chriſti non deſcendit ad nos, tantùm
» abeſt vt eam ore & dentibus premamus, ſed ab
» ea veluti lumen à ſole in nos & in Sacramenta
» illabitur Verbum de Deo Verbo, vt vocat O-
rigenes.

Pagina 94.

Cuperes tibi ſimile corpus, expoſceres ſimile alimẽtum quod ſimul tibi eſſet medicamentum, vt tandem in ſimile corpus excreſcas? Admoue manum ad Sacramentum, & quale deſi-
» deras, tum ore tum corde ſuſcipe nutrimẽtum.
» Siquidem hic panis quem tãgis, virtute & po-
» tentia caro eſt, ſimilis illi, quam cum tanta ad-
» miratione ſurſum cõtemplaris: & vinum hoc
» ſanguis eſt virtute, illi ſanguini cognatus & af-
» finis, quem è Chriſti latere diffundi proſpicis,

plenus

plenus vita & Spritu ſancto. Eſt proinde hoc »
Sacramentum quod dēte premis, & cuius vim »
corde ſugis, vera imago, ſed intelligibilis illius »
corporis Chriſti quod ſurſum fide intueris, & »
ad vitæ tuæ æmulationem manducas. »

Pagina 95.

Conclude igitur vel meo periculo, lector, quòd caro illa quam in pane cōtemplaris (potentia tamen & virtute non actu, nam debet manducari vt fiat vera caro) nō ſit illa naturalis caro Chriſti & numero ipſiſſima quā in cęlo contemplaris: ſed caro illi germana, caro illi, affinis, aut denique caro vicina & natura ſimilis carni Chriſti, plena tamen vita & Spiritu ſancto, ne typus & ſimilitudo omni veritate deſtituatur: interim non eſt tota veritas, ne non ſit typus.

Pagina 95.

Multi quos nouimus Euangelici facilè ad » mittunt quod ſit ſignum, figura ſiue imago, ſed » (quod dolendum) aut diſſimulant aut ignorār, » quòd ſit imago & figura non nuda aut inanis, » ſed viuifico verbo plena & Spiritu ſancto. »

Pagina 98.

Per hanc igitur vim vitæ ſiue virtutem, quæ » à carne Chriſti profluit in panē, dicimus, quòd » in Euchariſtia eſt vis ſiue veritas carnis Chri- » ſti, vnde differt à pane cōmuni. Hic enim cor- »

„ pus tantùm nutrit, ille autem & corpus & ani-
„ mam, quia & substantiam habet terrenam &
„ cœlestem. Propterea eget & ore carnis & fidei,
„ vt & fidei & carni nostræ præbeat alimentum.

Pagina 98.

Accipio in Euchar. fidei donum siue virtu-
„ tem quãdam à Christi carne illapsam, quæ me
„ coniungit Christo carnaliter, hoc est, facit meã
„ carnem Christi carni congenerem.

Pagina 99.

Sicut cognitio Patris & Filij vim vitæ & mystica benedictionis virtutem immittit, hoc est fidem quæ nos coniungit Christo vt homini: ita cognitio & cõfessio Spiritus sancti qui à Patre & Filio procedit, vim quandam infundit, quæ charitas vocatur.

Pagina. 100.

Cùm dicit vel Irenæus vel Cyrill. nos naturali participatione vniri Christo per carnem, intellige id fieri potissimùm quando manduca-
„ tur panis Eucharistiæ, qui ob inexplicabilem
„ vnionem (quæ tamen hypostatica non est) ver-
„ bi viuifici cum pane transit in naturam carnis
„ Christi: proinde per illũ panẽ, qui verè nos nu-
„ trit, naturæ tã carnis Christi quàm diuinitatis
fimus participes, modò accesserimus ad comedendum & fidei & charitatis consortes.

Pagina 103.

Audeo (inquam) & fide qua possum, & dilectionem

ctione quam à te accepi admittere in animam »
meam corpus, hoc est, substantiam Verbi tui »
viuifici & Spiritus sancti, qui secreta & præpo- »
tenti virtute panis huius & vini substantias a- »
lendæ carni meæ idoneas, in naturam sanctissi- »
mæ carnis & sanguinis dilecti Filij tui Domini »
nostri Iesu Christi per mistică benedictionem »
immutat.

Ex 2. lib.

In cælo totus Christus est, in sacramẽto verò ipsius quædam imago siue, vt ita dicã, portio.

Pagina 114.

Frustra in manducando, hoc est occidendo vetere Adamo tuo, frustra in obseruãda Lege desudas, nisi noui Testamẽti beneficium quod in effuso Christi sanguine nobis oblatum est, & fide suscipias, & aliis hoc dilectionis charitatísque donum propines. Bibite (inquit Dominus) hũc meæ charitatis sanguinem omnes, qui effunditur in remissionem peccatorum: & »
Facite, hoc est (ait Orig.) pariter in alios effun- »
dite. Quare ergo omnes? quia salutis symbolum & remissionis qua omnes egemus peccatorum signaculũ. Iam quum in remissione peccatorum potius constet nostra iustitia (teste Augustino) quàm perfectione virtutum, ei potius oblatione fidei, & amoris placetur Deus, quàm sacrificio iustitiæ operum nostrorum, potius etiam in bibendo sanguinem, hoc est

fidei charitate iustificamur, quàm in legis mutila nostra obseruantia.

Pagina 116.

Sed hîc insurget Christianæ militiæ ignauus aliquis tyrunculus, & dicet, Si non magnoperè prodest ad salutem obseruãtia Legis siue obedientia, quam tu escam Christi appellas, vnde & totius Ecclesiæ, verùm iusti simus in bibendo sanguine Christi, hoc est credendo quòd effuderit sanguinem pro peccatoribus, aut fideliter diligendo Deum, quod appellas bibere
» nouum Testamentum. Ergo cõtra vetus Pon-
» tificum institutum bibamus de Calice, & non
» comedamus de pane. Rectè quidem infers, si
» tempore excluderis. Quum enim manducatio longius exquirat tempus quàm potatio, si in animæ deliquium incideris, nónne in os potius iniicies vinum quàm carnes, quoniam illud citius repente delapsas instaurat vires? Et tamen quis successu temporis panem negligat, qui vinum diligit?

Pagina 132.

Populus cùm sit sacerdos sacrificare etiam tenetur sub pœna æternę damnationis, ne quis putet in posterum in Cœna Domini nullum esse sacrificium, quod ab Euangelicis aliquot (doleo) nimis impudenter aut negatum aut omissum, néque in Catechismis explicatum. Scio quòd solus Christus sit sacrificium propitiato-

pitiatorium, ſolus interpellãs Patrem pro peccatoribus cum indubitata efficacia.

Pagina 132.

Nemo interim negabit & populo & miniſtris nouæ legis prẽter laudis, precum, eleemoſynæ, ſpecialia duo alia eſſe & commiſſa, & præcepta ſacrificia, quorum vnum eſt oblatio corporum ſuorum, iuxta illud Pauli, Offerte corpora veſtra Deo hoſtiam viuentem. Alterum paſſio Ieſu Chriſti, & beneficiorum eius in nos cõmemoratio, iuxta illud Chriſti, Hoc facite in mei memoriam.

Pagina 136.

Panis duplicem habet analogiam. Vnam » qua reſpicit & denotat Chriſtum caput Ec- » cleſiæ: altera analogia eſt qua reſpicit Eccle- » ſiam & ſingula eius membra, fideles ſcilicet » omnes. »

Pagina 142.

Audacter panem & vinum offeramus, hoc eſt, corpus & animam noſtram æterno Abraham, & Patri noſtro Deo.

Pagina 143.

Offeramus panem obedientiæ ſcilicet, offeramus vinum fidei & charitatis noſtræ, & ſuo tempore effundamus ea in proximum.

Pagina 145.

Proinde, mi Lindane, ſi intelligeretis canonem veſtrum, cùm dicitis, Suſcipe ſancte Pater

hanc oblationem,&c. deinde, ſ ube eam perferri ſurſum per manus ſancti Angeli tui: tantùm eſt ac ſic diceretis, Suſcipe Pater me & populũ hunc, qui ſumus corpus Filij tui facti in Baptiſmo per gratiam tui paſſionis ipſius: ſuſcipe nos, inquam, qui in oblato hoc pane repræſentamur. Hæc igitur fuit cæcitas Eccleſiæ Romanæ, quæ ſi oculos aperire vellet, & ad verum redire ſacrificij Chriſtiani intellectum, ídque peragere cum populo (vt fit in reformatis Eccleſijs hodie) vulgari & intelligibili lingua (vt bene meo iudicio inſtituerat Bonnenſis reformatio ſub pio illo Archiepiſcopo Colonienſi, adiuuantibus & ſuã operam ei rei nauantibus Bucero & Melanchthone) non vi-
» deo cur tam abominabilis reputari debeat Ca-
» non ille Pontificiorum, quàm clamant non-
» nulli magno boatu, æquè ignari antiquitatis &
» veritatis, ac Pontificij. Id quod bene intellexiſſe videtur hodie nunquam ſatis laudata Eccleſia Anglicana, quæ ferè totum Canonem retinet, & in celebranda Cœna Domini ipſam vetuſtatem quàm proximè æmulatur, præſertim in conſecratione panis & vini: quæ etſi nihil faciunt ad conſecrationem, explicant tamen conſecrationis Chriſti vim, & quædam ſunt veluti paraphraſis, cuius hæc ſunt uerba, Concede miſericors Pater, vt hæ creaturæ panis & vini per ſanctum Spiritum & verbum ſanctificata

cata fiant nobis corpus & sanguis dilecti Filij tui, qui pridie quàm pateretur, &c.

Pagina 148.

Augustinus panem & vinum in altari consecrata signa esse dicit bonæ nostræ voluntatis & puritatis cordis, quæ Deo offeruntur: neque dicit signa esse præsentis carnis Filij Dei siue integri corporis eius & animati.

Pagina 149.

Quum Christus seipsum, hoc est corpus & animam obtulisset Deo Patri in Spiritu, pane & vino repræsentatus, & iussisset vos potissimùm (alioqui pertinet ad omnes) facere in cõmemorationem sui hoc est memores, quòd ipse prior hoc feciſſet, vos contrà, non vosipsos, sed ipsum rursus offerre vultis?

Pagina 162.

Si non potest offerri nisi per sacerdotem iustum, & Bernardus dicit, quòd sacrilega crudelitate surripitur pauperibus, quicquid sacerdotes præter victum & vestitum accipiunt, & certum est illos retinere ingentes diuitias, dominia & terras, esurientibus egregiè pauperibus: ergo omnes abbates, episcopi, diaconi, archidiaconi, cardinales, canonici sunt sacrilegi, aut mentitur diuus Bernardus & Augustinus, & vtinam officioſè mentiantur (Deus ita me amet vel vnius mei brachij iactura.) Si igitur sunt sacrilegi, sunt infames, proinde non tan-

tùm non possunt offerre, sed peccato contaminant etiam eos (vt diximus ex Cypriano) quicunque illorum oblationi assistunt, etiamsi nihil esset amplius, quod in illis reprehendas.

Pagina 164.

Offertur primũ corpus & caro singulorum Christianorum, hoc est Ecclesia militans Deo in precibus communicantium commendatur, quod etiam bene obseruant Euangelici, & in pane id quadam analogia fieri non negant.

Pagina 168.

At cur non audis Cyprianum, qui monet lib. de Vnctione, vt inquiramus quomodo panis ille dicatur corpus Christi? Tunc respondebit tibi Tertullianus, quòd sit figura corporis licèt non inanis. Clemens Alexandr. quòd sit Temperatura vini & verbi. Origenes, quòd sit verbum de Deo verbo. Theodo. quòd ideo dicitur Corpus, quia pani addiderit suã gratiã Dominus. Idem Epiphanius, idem August. Videbitis, inquit, quòd gratia eius non consumitur morsib. Audies à Neocæsarienſi, quòd sit imago carnis Christi impleta Spiritu sancto. A Chrysostomo, quòd sit aliquid intelligibile, inuisibile & inpalpabile. A Theophylacto, quòd sit virtus carnis Christi. Gelasio quòd sit panis diuinus. A Nysseno, quòd sit panis cui vnitum sit verbum. A Damasceno, quòd illi coniuncta sit diuinitas. A Cyrillo in Cateh. quòd

sit

sit panis quidem, sed non nudus aut simplex, sed cum eo diuinitas. Ab eodem ad Calosyr. quòd Deus infuderit in eum vim vitę. A Cypriano, quia in illo infusa est diuinitas mirabili modo. Ab Ambrosio, quia est similitudo carnis, aut quia est cum eo diuinus Spiritus. Ab Emisseno, quia est panis cuius substantia propter præsentiam maiestatis diuinæ sit mutata in melius. A Rabano, quoniam est character siue figura carnis. A Nazianzeno, quia est figura figuræ, & magni figmentum Dei. Ab Ambrosio, quia creatura solennis. Denique ab omnibus, quia sub figura panis occultet (tantum habebis ex me) figuram siue Sacramentum carnis Christi, vt diximus ex Beda. Demum quòd in pane adsit veritas carnis Christi, non tamen vera caro & formata, vis illius non caro ipsissima, & substantia etiam eadem natura cum carne Christi, non eadem numero.

Pagina 171.

Dixit Christus, Accipite, manducate, & postea, Facite. Nota lector, ordinem, quem nescio an bono zelo inuerterit antiquitas, quæ facit panem, hoc est (vt ipsi accipiunt) offert priusquam comedant. At si ordinem verborum sequaris, prius comedendum esset Sacramẽtum, deinde offerendum, sic foris nullum esset visibile sacrificium, sed totum in nobis, iuxta Paulum, Offerte corpora vestra Deo hostiam san-

ctam. Sic Petrus iubet nos offerre ſpirituales hoſtias. De panis & vini hoſtia nuſquam leges in Scripturis, imò neque in Patribus, niſi ea ratione offeramus panem, & eiuſmodi viſibilia quæ Irenæus vocat creaturas, vt non appareamus in conſpectu Dei aut vacui, aut ingrati. Hæc quum oblata cedãt in alimoniam pauperum, & admoneant populum ſui officij ſuíque mentalis ſacrificij, pulchrum eſſet, & moribus antiquorum conſonum, vt ab Euangelicis reuocaretur in vſum. Id quod fit (vt apparet) quando poſt aut ante concionem colligitur eleemoſyna, à ſingulis pro ſuo arbitratu & facultatibus oblata.

Pagina 176.

Eſt quidem panis altaris corpus & caro Chriſti virtute & per gratiam, & proinde intelligibilis admirabiliſque Chriſti imago. At » tu, quiſquis es, qui panem dignè ſumis, fis » corpus Chriſti viſibile, ſenſu & ratione præ» ditum.

Hactenus Harchius.

ET hæc quidē Harchius nō minùs obscurè quàm perturbatè, vt qui ab vna quæstione ad alterā desiliat, & plurimis ambiguis vocibus ac formulis vtatur, adeò vt mihi sepissimè hæc omnia relegēda, considerāda, perscrutāda fuerint, priusquàm quid homo iste sibi vellet, intelligere, & in suos locos distinctè singula referre potuerim. Itaq; ne huius mei scripti lectoribus idē eueniat, distinctis, vt est à me initio dictum, quæstionibus, primùm omnium exponam quid de singulis in Heluetica confessionis Ecclesiis doceatur, cui omnes quoque Rheticæ, Sabaudicæ, Gallicæ, Anglicanæ, Scoticæ, Belgicæ, & Polonicarum, Morauiensium, Bohemicarum, Hungaricarum denique plurimæ Ecclesiæ subscripserūt: ac deinceps quid Harchius de ijsdem rebus senserit ostendam, vt proinde in quibus consentiamus vel dissentiamus, cuncti perspicuè cognoscant.

De signis in Cœna Domini.

De signis, siue Symbolis, siue Sacramentis (quum ista vox angustiore notatione sumitur) hæc docemus. Primùm hæc signa à rebus communibus quæ signa non sunt, eo differre, quòd in his substantiæ ipsæ ad naturalem illarum vsum adhibeantur, illa verò aliud quippiam quàm quod ipsa sunt, animis repræsentent, ac proinde ad alium quàm naturalem vsum accommodentur: vt exempli gratia, communis panis idcirco profertur & sumitur vt corporibus

nostris naturale nutrimẽtum præbeat ex sui ipsius substãtia: panis autẽ Sacramentũ, sic ad naturalem vsum adhibetur ore comẽstus & in ventriculo concoctus, vt tamen neque in ipsius substantia, neque in naturali ipsius vsu subsistatur, sed ad spiritualem cum Christo coalitionem animus assurgat. Decernimus preterea Sacramentorum significationem diuinitus institutam, neque nudam esse, qualis est picturarum imaginum & aliorum huiusmodi vulgarium signorum, sed cum ipsa rerum significatarum præbitione coniunctam: neque in rebus humanis & caducis, sed in rebus cælestibus & æternis versari. Sic exempli causa, in carnalis coniugij obligatione, annuli traditio nudum signum non est, sed quo ipsa coniugij obligatio sancitur: Panis autem Sacramenti in spirituali cum Christo coniugio sanciẽdo adhibitus, spiritualis ac perpetuæ cum illo nostræ coniunctionis, & omnium ex ea defluentium in nos bonorum certissimum est pignus. Denique pro signis & Sacramentis in Cœna Domini primo loco censemus ipsam Domini institutionem, qua nobis totum illud mysterium significatur. Deinde pro signis non tantùm panem & vinum, sed etiam substãtiales sacræ illius actionis ritus habemus, de quibus seorsim à nobis differetur.

Nos igitur hac de re sic ex Dei verbo sentire didicimus, nempe tum ex ijs quæ de veteribus Sacramentis aduersus plurimos in re sacramẽtaria errores à Prophetis & in epistola ad Hebræos docentur:

tum

tum ex ijs quæ & de Baptismo Mat. 11.3, & Act. 11. 16, & 1. Pet. 3.21, & de Cœna Domini, 1. Cor. 10.4, & 16, referuntur: quæ nunc attigisse satis est. Quid autem Harchius? Agnoscit panis & vini signis cogitationē nostrā admoneri carnis Christi pro nobis crucifixæ, & nunc nō in terris sed in cælis collocatæ, ex qua cuncta in nos Dei vera dona, ipsáq; in primis vita æterna veluti ex capite in subiecta mēbra deriuētur. Et hactenus quidē rectè sentit, realem corporis Christi in terris præsentiā, firmissimis plurimis argumētis, nobiscū refutās. Sed nimiùm profectò parcè ac iciunè de isto signorum genere loquitur, quum ea μνημόσυνα tātùm vocat, quod etiam pictis imaginibus conuenit. Quamuis enim postea plus etiam illis quàm nos tribuere videatur, nedum vt illa extenuet: siquis tamen rem totam propius inspiciat, comperiet omnem signorū rationem ab ipso aboleri: vt qui panem illum & vinum illud, non corporis illius pro nobis traditi & sanguinis illius pro nobis effusi signa, sed ipsius essentialis æterni Filij Dei conceptacula esse contendat: vt sicut Christi caro propter inhabitantem in ea τοῦ λόγου hypostasin facta est re ipsa Diuina, sic propter eiusdem essentialem in illo pane & illo vino inhabitationem atque adeo cum illis vnitionem, panis ille & vinum illud sint res diuinissimæ: adeò vt ex illius sententia hæc τοῦ λόγου in pane & vino inhabitatio, ab illa hypostatica nō toto genere, sed secundū plus & minus differat. Hactenus videlicet quòd

hæc cum ipsa carne Christi sit penitior & arctior, adeo vt homo ille sit ipsemet Deus, ista verò cum illo pane & vino non sit vsque adeo intima, vt ille panis & illud vinũ sint ipsemet æterni Dei Filius: quem teterrimum & planè cum manifesta impietate coniũctum errorem tunc demum refutabimus, quum eiusdem de rebus significatis, & signorum cum rebus ipsis analogia, & vtrorúmque inter se copulatione, itémque perceptione, & effectis sententiam exposuerimus, ne sæpius idem inculcare cogamur.

De rebus Sacramentaliter in Cœna Domini significatis.

Edocti Verbo Domini, prout sonant & significant institutionis verba, per panem illum, corpus illud Christi pro nobis crucifixum: per vinum illud, sanguinem illum pro nobis effusum: per panis illius fractionem & illius vini effusionem, diros illos inenarrabiles Christi pro nobis tum in corpore tum in anima toleratos cruciatus? per exteriorem eorúndem symbolorum traditionem, interiorem ac spiritualem Christi præbitionem: per eorundem denique sumptionem, spiritualem eiusdem per fidem receptionem, sacramentaliter ex ipsius Christi ordinatione significari docemus. Harchius verò triplicem nobis Christi carnem statuit, vnam naturalem, alteram sacramentalem, tertiam mysticam. Naturalem carnem definit eam, quàm ὁ λόγος sibi hypostaticè

ſtaticè vniuit nunc in cælis poſitam, & cuius μνημόσυνα ſint panis ille & vinum illud, ſicut paulò ante diximus: ita videlicet vt illa caro in hac ſacra actione non aliter (quamuis in diuerſum finem) ſenſibus noſtris externis proponatur, quàm imago, vt rei pictæ admoneamur. Sacramentalem carnem autem vocat ipſum illum panem & illud vinum, in quæ illapſa diuinitas eſſentialis τῦ λόγου, eíſque vnita, faciat vt panis ille & vinum illud ſint caro Chriſti, non quidem eadem numero atque naturalis illa, ſed natura, id eſt ratione viuificantis Diuinitatis, ei carni ſimilis. Tertiam denique myſticam nosipſos appellat, qui pane illo virtute viuifica prædito ritè vtentes, ipſum Chriſti corpus euadamus.

De ſignorum & rei ſignificatæ analogia.

Rectiſſimè ſcribit Auguſtinus, niſi conuenientia & ſimilitudo quædam eſſet inter ſigna & res ſignificatas, ne ſigna quidem fore. Nam viſa equi vel bouis imagine, cui tandem homo veniat in mẽtem? Quam autem analogiam inter illa ſigna & res illas ſignificatas ſtatuamus, facilè vel nobis tacẽtibus, ex iis quæ paulò antè diximus intelligi poteſt. Apparet enim mox ſimilitudo aptiſſima inter panẽ & vinum, ideſt corporalem alimoniam noſtrã, & Chriſtum, ex quo æternæ vitæ ſuccum haurimus: itidémque inter panis fractionẽ, & diros eius cru-

ciatus inter vini in poculum infusionem & sanguinis ipsius effusionem: ac denique inter corporalem & spiritualem, tum præbitionem tum receptionem. Harchius autem, omnibus istis neglectis, duplicem analogiam nō inter signa & res significatas, sed inter rem essentialiter in pane & vino contentam, & intimè ac ineffabiliter illis permixtam, & panem istum ac vinum istud comminiscitur. Vnam videlicet, quòd sicut caro Christi naturalis per hypostaticam inhabitationis gratiam euasit caro essentialiter Diuina, vtpote Filij Dei caro: sic panis iste & vinum istud eadem Diuinitate ipsis essentialiter vnita fiant caro Christi vera, & illi carni naturali, quod ad viuificam illam virtutem attinet, similis: alteram autem in eo quòd sicut panis quo vescebatur Christus, & vinum quod bibebat, in terris agēs, calore naturali concocta, &, vt loquuntur medici, (fuit autem professione medicus Harchius, cui propterea similitudines istæ fortassis in mentem venerunt) carni illi pro nobis assumptæ, & Diuinitati τοῦ λόγου vnitæ assimilata euadebant ipsa Christi caro naturalis: ita etiam quisquis illa Sacramenta (quibus eadem illa Diuinitas quamuis non hypostaticè, tamen essentialiter & abundantissimè vnita est ac permixta) ritè, id est tum ore tum viua fide sumit, fiat verum Christi corpus, & quodammodo ipse Christus.

De

De signorum & rerum significatarum Sacramentali in cœna Domini coniunctione seu copulatione.

Quum Sacramenta sint signorum species, fatendum est necessariò significatiua relatione res per ea significatas cum ijs quodammodo coniungi. Quoniam autem non quidquid seu verbis nudis, seu adiunctis præterea Symbolis ac visibilibus signis promittitur, re ipsa præstatur: idcirco non tantùm significatione, sed etiam ipsarum rerum significatarum vera præstatione Sacramentalem coniunctionem siue copulationem definimus. Et hæc est Sacramentalis rerum communium transmutatio, qua fit nimirum, vt ex rebus cõmunibus fiãt vera & nisi per nos steterit, efficacissima, nostræ cũ Christo sanciendæ concorporationis spiritualis instrumẽta. Vtam autẽ transmutationem in solo vsu, non in substantia ipsius panis & vini positam, vni Dei nobiscum pacisscentis voluntati tribuimus: ex quo efficitur, quum Sacramentalis hæc mutatio in solo vsu posita sit, illa Sacramentorum rationem extrà vsum, eumq; legitimè obseruatum, nullam habere. In hac autem doctrina qui non acquiescunt, (transsubstantiatores nimirum & consubstantiatores) hoc præterea requirunt, vt res significatæ re ipsa non tantùm dari (quod nos minimè negamus) sed etiam in terris vna cum ipsis signis adésse dicantur: quod quatenus concedamus, & quatenus

negemus, suo loco dicetur. Cæterùm Harchius noster in eodem prorsus atque illi errore versatur, in eo tamen diuersum sentiens, quòd illi quidem corpus ipsum, & sanguinem Christi re ipsa adesse volunt, transsubstantiatores quidem sine pane & vino, consubstantiatores autem in, sub, vel cum pane & vino: Harchius autem non ipsum corpus, neque ipsum sanguinem, sed Diuinitatem ipsam essentialem τοῦ λόγου, & carnem illam potentialem cum pane & vino, atque adeo nobiscum cōsubstantiat, ideóque extra vsum quoque panem & vinum habere sacramentorum rationem existimat.

De signorum & rerum significatarum in Cœna Domini perceptione.

Quū Sacramēta (Hoc vocabulo latiore notatione accepto) duabus reb. cōstent, vna videlicet terrena, altera cælesti: docemus rē terrenam, id est panem & vinum, terrenis instrumentis, manu videlicet & ore percipi, & similiter ritus Sacramentales, fractionem videlicet, præbitionem & receptionem, corporeis itidem instrumentis peragi: rem autem
» *cælestem, id est quidquid per illa sacramentaliter*
» *significatur, sicuti menti obiiciuntur, sic sola mente*
» *perfidem apprehendi. Rursum verò Transsubstantiatores & Consubstantiatores, propterea quod rem cælestem tam præsentem esse volūt in terris quàm*

rem

rem ipſam terrenam, idcirco corporis inſtrumentis vtranque ſimul percipi contendunt: nec aliter ſentit Harchius, eo quod modo diximus excepto.

De Cœnæ Domini effectis.

Cœnam Domini non propter panem & vinum, ſed propter homines inſtitutam eſſe dicimus, & quidem ad illorũ ſalutem. Sed quoniã alij quidem dignè (id eſt cum pœnitentia & fide) alij verò indignè (id eſt vel quid hoc rei ſit ignorantes, vel increduli, vel impœnitentes) ad eam accedunt, idcirco contraria duo effecta illi tribuimus: vnum ſaluificum, quod ipſius Cœnæ propriũ eſt, alterum vero κατὰ συμβεβηκὸς, ad condemnationem, non ab ipſa Cœna, ſed ab indigno ipſius vſu emanantẽ. Verum igitur illius in ſolis pœnitentibus & credentibus effectum eſt, cõfirmatio conſociationis ipſorum cum Chriſto ſpiritualis: qua fit vt ſpiritualiter cum ipſo Chriſto connexi, & ſic ipſius meritorũ omnium participes facti, hoc etiam conſequantur, vt, ſicut in corpore naturali animato membra cum capite cohærentia ſenſum & motum inde percipiunt: ita ſpiritualiter ipſi Chriſto copulati, dona omnia ſpiritualia regeneratorum propria, ac tandem etiam vitam ipſam æternam, à carne Chriſti, ceu capite, in cohærentia membra emanantem, magis ac magis adipiſcantur: cuius etiam propterea ſigillatim quidem membra, cõiunctim verò myſticum corpus NB

appellantur. Et quoniam separata alia ab aliis membra neque vnum corpus efficere, neque vnius eiusdémque capitis corpus vnum esse possunt, idcirco inter Cœnæ Domini effecta in primis numeramus charitatis incrementum, quo alij cum aliis sub eodem capite arctius coniungãtur, sicut eundem Christum iisdem Sacramentis omnes participant. In hoc porrò mysterio concurrentes causas sic distinguimus, vt sicut vni diuinæ ordinationi sacramentalem, de qua diximus, transmatationem tribuimus, ita vni Spiritus sancti infinitæ & ineffabili potentiæ acceptam ferimus in solidum illam nostri, qui in terris sumus, cum Christo, per eius carnem quæ nunc in cœlo est, & nusquam alibi, consociationem, quam Paulus Ephes. 5. 32. Mysterium magnum vocat. Quòd autem sic facti spiritualiter ipsius Christi participes, fidei incrementum, aliáque cælestia dona, ac in primis nostræ regenerationis obsignationem, ac tandem etiam æternam tum corporis tum animæ vitam adipiscamur, totum illud ab vno Christo Deo & homine, per eius carnem pro nobis assumptam, crucifixam, & tandem supra res omnes creatas euectam, in nos emanare credimus. Instrumentales denique causas in his mysteriis agnoscimus, partim ipsius Dei respectu, exteriores illas, quibus in externos sensus incurrentibus, mentes nostræ ad rerum significatarum considerationem commouentur: nempe pastorem ipsum, verba institutionis, Symbo-

Symbola, & Sacramentales ritus: partim nostri respectu, interiorem & in nobis ex Dei dono hærentem vnicam, nempe Fidem. Et rursum inter hæc instrumenta hoc discrimen statuimus, quòd externis illis sic vtatur Deus, vt tamen ipsis nullam vim intrinsecam efficientem insinuet, sed duntaxat quid ipse vnus intus agat, nobis per ea testificetur: interius autem illud quo nos ipsi vtimur, nempe Fidem, agnoscimus hac vi præditā esse, idque ex Dei ordinatione, vt Christum verè nobis spiritualiter applicet. Denique κοινωνίας siue Consociationis voce ex Apostolo desumpta, nullā ipsius corporis Christi cum nostris συναφὴν, nullum realem contactum, neque corporali, neque spirituali modo statuimus. (Quorsum enim hæc monstrosa, Cyclopica, cum corporis Christi veritate & eiusdem in cælis collocatione ex diametro pugnantia, & ab hoc cæleſti mysterio prorsus aliena?) Sed ita significari docemus, quemadmodum, vt cibo naturali in hac vita nutriamur, non satis est apparatas esse & appositas dapes, sed illas præterea re ipsa sumere, & concoquere nos oportet, minimè alioqui succum alimentarium inde hausturos: sic, vt meritis Christi, & iis quæ ipsi insunt fruamur, ac in primis vt æternæ vitæ succum seu vim spiritualem ex eo hauriamus, non satis esse quòd assumpta ab ipso caro, tum accepta spiritus plenitudine, tum in ara crucis sit nobis iustificandis, sanctificandis, & tandem glorificādis, perfectissimè aptata: sed præterea oportere

vt ipſemet Chriſtus verè ac re ipſa noſter fiat, qua coalitione myſtica & ſpirituali, ipſe in nobis, & nos in illo viuamus. Hæc autem arctiſſima credentium cum ipſo Chriſto connexio, non ad vllum corporum contactum, aut animarum realem cohærentiam ſed ad intimam in nobis ipſius efficacitatem relata, tranſlatitiis omnibus illis vocabulis, Comedendi, Bibendi, Concorporationis, Inſitionis, Cõiugij, Vnitionis denique, in ſacris literis ſignificatur, quibus videlicet arctiſſimæ connexiones naturales in communi hominum vita declarantur. Poſtremò docemus neque ipſius Chriſti virtutem ſiue ἐνέργειαν poſſe à nobis participari, quin ipſemet noſter fiat & nos illius: neque viciſſim ipſum fieri noſtrum poſſe, quin ipſius energiam participemus, quòd caro cum virtute, ac virtus cũ ipſius carne ſic cohæreat, vt neutra ab altera diuelli vnquam poſſit. Ex quo conſequitur tum in verbo nudo tum in verbo cum Sacramẽtis coniuncto, vnum & eundem Chriſtum totum cum ipſius Spiritu ſeu virtute ſaluifica nobis ſpiritualiter apprehendendum proponi, quamuis accedentibus ad verbum Sacramentis, fidem vehementius in nobis commoueri, ac proinde efficacius agere oporteat. Deinde & illud efficitur Chriſtum ipſum ſiue in nudo verbo, ſiue in Sacramentis, non niſi à credentibus, ac proinde ad vitam percipi.

Quid autem Harchius? Ita varius eſt ac multiplex, vt vix, quid liquidò ſentiat, intelligere potuerim.

rim. In ſumma verò vult virtute benedictionis myſticæ,(vt loquitur Pagina 32.) id eſt,per verbũ Dei à legitimè ordinato miniſtro pronunciatũ, (vt ſcribit Pagina 38.) diuinitatis Chriſti ſubſtãtiam, quæ vbique eſt per præſentiam generalem (pagina 12.) Deum : (pagina 32.) Verbum illud æternum, quod caro factum eſt : (pagina 15.) ipſam Chriſti Deitatem: (pagina 16.) Verbum viuificum, & Spiritum ſanctum : (pagina 28.) ipſam diuinitatem: (pagina 31.) Verbum æternum, & eſſentiam diuinam:(pagina 45.) diuinitatem, quæ in Chriſto corporaliter habitat : (pagina 63.) carnem Chriſti inuiſibilem,id eſt,æternum Verbum & Spiritum ſanctum: (pagina 77.) viuifici verbi virtutem:(pagina 79.) verbum de Deo verbo: (pagina 80.)virtutem & vim quandam à Chriſti carne:(pagina 97.) ſubſtantiã verbi viuifici & Spiritus ſancti:(pagina 103.) quandam Chriſti portionem : (pagina 106.) eſſe potiſsimùm in hoc Sacramento: (pagina 13.) ſolam dari in Sacramento : (eadem pagina) In Sacramento contineri:(pagina 14.) ore ſuſcipi à fidelibus:(pagina 15.)alere carnem Chriſtiani:(pagina 16,& 21,& 28,& 32,& 53,& 55, & 102.) in pane latere:(pagina 26.) infundere ſeſe in panem,ineffabili modo: (pagina 28,& alibi ſæpe.) immutare panem in corpus verbi:(pagina 30.) impertire ſeſe per carnem non illam,quæ in cœlis eſt,ſed eam quæ ex pane & vino conſtituitur, fideliumque corpori coniungitur : (eadem pagina.) facere vt panis in

carnis Christi virtutem & naturam transeat: (pagina 31.) facere panem corpus Christi actuale, quando manducatus & concoctus est ab homine fideli, hominem faciens actu corpus ipsius Christi: (pagina 40.) sumi à quibusuis, sed euanescere in ijs qui carent calore charitatis: (pagina 41.) illabi in panem ineffabili modo: (pag. 45.) facere vt panis transeat in substantiam carnis Christi in cœlum euectæ: (eadem pagina) perfundere panem: (pag. 46) mutare panem in substantiam Christi infusione diuinitatis secreto illapsu: (pag. 49.) vniri pani mirabiliter, & per habitationis gratiam: (pag. 15, & 56, & 74, & 80, & 81.) facere vt panis abundantissimè habeat in se Deum: (pag. 57.) miro modo de plenitudine sanctæ carnis Christi in nos & in panem infusa facere panem Christum per potentiam & virtutem: fideles verò actu tales, de quibus dicitur: Nolite tãgere Christos meos: (pag. 63.) quotidie ex pane & vino creatã, & de altari à fidelibus sumptã natura similẽ esse illi carni, quam habet Christus in cœlo, viuifica nimirum ratione viuificantis diuinitatis, quæ seſe in panẽ infudit, & commiscuit ineffabili modo: (pag. 70.) illapsam in panem eidem vniri, vt cera liquefacta alteri ceræ liquefactæ: (pag. 79.) facere mirabiliter, potenter, ineffabiliter, vt panis, seruata forma & substantia, in diuinam abeat naturam: (pag. 82.) Distinguens autem idem Harchius inter eos, qui ad Cœnam accedunt, vult, si animalia fuerint irrationalia,

lia, solo ore panem illum sumere, sed duntaxat ad beneficium præsentis vitæ: si verò fuerint rationalia, sumere etiam illum, sed non pari exitu. nam infideles quidem & hæreticos sumere etiam illum ad eundem finem, sed qui si in infidelitate perstiterint, cùm etiam sumant cum pane Deum per generalem præsentiam diuinitatis, accipere iudicem non Seruatorem: (pag. 56.) & totum quidem Sacramentũ manducare, ac proinde corpus Christi, sed nomine & sacramento tenus: (pag. 42.) malos verò habentes quandam fidem cõmedere Sacramentum ad aliquod bonum vitæ temporalis, sed quia non diligunt ea fide quæ diligit, nihil illis prodesse Sacramenti comestionem ad vitam æternam: (pag. 71.) Tertium genus restare eorum, qui ore & fide & Sacramentum & rem & fructum Sacramenti percipiunt: (pag. 42.) & tamen mali (inquit pag. 72.) multo minùs infideles dicũtur Christi corpus comedere. Idem Harchius interdum Baptismum Cœnæ Domini exæquat, vt pagina 32. aliquando merè spiritualem vim extra carnem Christi ei tribuit, vt pag. 61, non minùs (inquit) est Christus in Baptismo, quàm in Eucharistia, verùm per diuinitatem, non humanitatem. Præterea quamuis Papistas meritò reprehendat in eo, quòd poculi vsum in ijs quos Laicos vocant sustulerint, & illam Deitatem non minùs in vinum quàm in panem velit infundi: (pag. 44.) videtur tamen vini & sanguinis illius viuifici potum magis etiam,

quàm panis esum vrgere, quoniã (inquit) ex Origene, (pag.115.) non dixit Dominus, Hic est panis noui Testamenti: sicut dixit, Hic est calix noui Testamenti: adeo vt si quis spacio temporis prematur, id est, (vt loquitur pag.116.) tẽpore excludatur, malit præteriri panis vsum, quàm calicis. Quũ enim (inquit) manducatio longius exquirat tempus, quàm potatio, si in animæ deliquium incideris, nónne in os potius inijcies vinum, quàm carnes, quoniam illud citiùs repente delapsas instaurat vires? Præterea malè defendens panem & vinum Cœnæ Domini habere Sacramentorum rationem etiam extra vsum, id tamen non vult in Baptismo valere. (pag.89.) Cœnam autem quatenus vocet sacrificium, & hîc rursum quot allegorius sacra mysteria contaminet Harchius, suo loco, id est, in refutatione dicemus.

De Cœnæ Domini adminiſtrandæ modo ac ratione.

Cœnæ Domini administrationem, sicuti par est, ad institutionis diuinæ normam & amussim exigimus. Itaque à Domini inuocatione exorsi, habita concione & repetitis precibus, ipsam Domini institutionem magna cum attentione recitatam populo solẽni formula explicamus, ac deinceps, edita fidei Christianæ publicæ per Apostolici symboli recitationem professione, quod iussit facere Dominus,

Dominusfacimus. Panẽ enim fractum, & vinum poculo infusum tradunt quidem ministri, accipiunt verò, comedunt, & bibunt singuli: quibus, peractis, & rursum gratijs Deo actis, populóque diligẽter de cõferenda eleemosyna, cæterísque charitatis præstandæ officijs commonefacto, (quibus vnis rationibus, quatenus videlicet Deo gratias agimus, solenni nostri tũ corporis, tum animi, consecratione Christianæ charitatis officiísque testificata, hanc actionem docemus εὐχαριστικὸν sacrificium vocari) minister populum cum solemni benedictione dimittit. Et quoniam sacra est in primis hæc actio, quasi in cælis potiùs quàm in terris celebranda: curamus, vt hæc omnia non tantùm honestè & decenter, (sicut reliqua omnia in domo dominifieri decet) sed etiam reuerenter & venerabili cum grauitate administrentur. Omnia autem illa quorum quædã ad impietatem, quædam ad superstitionem conuersa sunt, quædam denique ridicula sunt, & histrionicæ saltationi quàm vsq; adeò sacris mysterijs conuenientiora, è domo Domini tanquã sordes, eiecimus: relicta in ijs, quæ adiaphora sunt, singulis Ecclesijs libertate. Harchius autem, quanuis panem & vinum diuinæ ipsius essentialis τοῦ λόγου. virtute, ipsis abundantissimè, vt ipse loquitur, vnita repleuerit: nihilominus tamen adorationem interiorem ad illa directam tollit, vt exteriorem, quàm venerationem appellat, substituat: oblationẽ & ἀπόδειξιν nõ simpliciter damnat:

linteã denique ſacerdotis veſtẽ nõ improbat: impia tamen & ſuperſtitioſa quædã meritò reprehẽdens.

Et hactenus quidem Harchÿ ſententiam de ſingulis huius controuerſiæ quæſtionibus cum noſtra comparauimus. Itaque ſupereſſe hoc videtur, vt noſtris confirmatis, dogmata illius ex Dei verbo refutemus, ac demum ÿs, quæ pro ſe profert, reſpondeamus. Erit autem hoc nobis eò facilius, quòd ne ſpeciem quidem vllam vllius argumenti Harchius ex Dei verbo profert, præter vnicum prorſus elumbe, quod ſuo loco explicabimus. Primùm, quòd panem & vinum dciamus ſigna eſſe cum ipſa rerum ſignificatarum præſtatione coniuncta, probatione non eget, niſi apud Tranſſubſtantiatores, qui pro mutatione rerum communium in Sacramenta, ſtatuũt earum annihilationem. Sed cum Harchio ſentire non poſſumus intra ipſa ſigna re ipſa contineri res ſignificatas, quæcumque tandem illæ ſint. Hoc enim neque ipſa rerum, id eſt, Sacramentorum aut rerum ſignificatarum natura patitur: neque in ſacris literis vlla vocula inuenietur, qua conſtitui tale quicquam poſſit: vt planè videatur hac quidẽ in parte minùs abſurda eorum ſententia, qui Chriſti corpus realiter adeſſe volunt, quàm eorũ qui in, ſub, vel cũ pane reipſa illud adeſſe cõtendunt. Sed Harchius magis etiã ineptã ſententiam tuetur, qui, vt corporis naturalis localem præſentiam excludat, deitatem ipſius verbi, ex carne aſſumpta in panẽ illapſam, velit intra ipſum panem

panem habitare, adeóque ipsi re ipsa vniri & permisceri. De quo dogmate mox dicemus.

Iam verò quod ad res significatas attinet, verùm illud ipsum corpus naturale, & verum illum naturalem sanguinem Sacramentis illius panis & illius vini significari, dicimus constare ex additis vocibus. QVOD TRADITVR, & QVI EFFVNDITVR: item ex disertis Pauli verbis, 1. Cor. 10.16, vbi panem quidem corporis Christi, poculum autem, (id est vinum poculo contentum) sanguinis Christi communionem esse testatur. Nec enim dubium esse potest, quin idipsum quod cõmunicatur, sit illud ipsum, quod in Cœna Domini significatur & præstatur. Itaque nihil absurdius fingi potuit isto Harchij commento, qui nomine corporis quod traditum fuit pro nobis, & sanguinis qui fuit effusus, Deitatem ipsam Christi siue verbum ipsum æternum Patris, & Spir. sanctum intelligit. Diuersa est autem quæstio. Quid in Cœna Domini significetur & præstetur, ab ea qua quæritur, quo sensu corpus illud naturale de pane illo, & sanguis ille naturalis de vino illo dicatur. Ad hanc enim respondendum est, Sacramentale hoc esse dicendi genus, quo, vt ipse Harchius agnoscere cogitur, rei significatæ nomen ipsi signo tribuitur. Ac proinde agnoscimus Corporis nomẽ interdum non ipsum naturale corpus sed eius Sacramentũ significare: quod nonnulli ex veteribus patribus corpus Sacramentale vocarũt, id est, Sacramentaliter intellectũ, velu-

ti quum dicũt. Corpus Domini videri, tangi, dentes in illud infigi, in terram cadere, creari, fieri, cõsumi: sed nullam propterea Diuinitatis Christi siue τοῦ λόγου in ipsis Sacramentis realem inhabitationem ponimus. Præterea & hoc agnoscimus, Ecclesiam quoque corpus Christi vocari, sed mysticum siue spiritualiter, mysterio magno, vt loquitur Apostolus Ephes. 5. 32. inter se sub vno & eodem capite, Christo connexum, & eiusdem Spiritu viuificatum, Eph. 4. 16. neque id quoque mysterium inficiamur signis panis & vini, & eò quòd omnes ex eodem illo pane sumimus, & ex eodem illo poculo illum Spiritum bibimus, 1. Cor. 10. 16. adumbrari atque etiam sanciri: sed hoc nunquam probabit Harchius, neque alius quisquam his verbis institutionis cœnæ Domini: CORPVS MEVM QVOD PRO VOBIS TRADITVR, Ecclesiã siue ipsa Ecclesiæ mẽbra, id est, corpus Christi mysticũ intelligi. Pari. n. ratione per HOC EST SANGVIS QVI EFFVNDITVR idem corpus mysticum rursum intelligeretur, quod adhuc nemini venit in mentem, vt diceret. Et certè si corpus illud esset mysticum corpus, singuli fideles Ecclesiam comedere viderentur. Apage igitur plusquam aniles istiusmodi nugas, & vertiginosis solus ista deliria relinquantur.

Tertiò, analogia inter caducam hanc alimoniam & vitam, & cœlestem illam naturalis Christi carnis virtutem, æternámque inde in nos, non in panem

nem aut vinũ emanãtem vitam, quum in ſacris literis millies inculcetur & ipſi conſubſtãtiatores idipſum in ſexto Ioannis capite agnoſcant, probatione non eget. Totum autem illud Harchij commentum de pane communi, quo Chriſtus veſcebatur, qui antea δωρέμει caro Chriſti, ab eodem poſtea comeſus & calore naturali concoctus euaſerit ἐνεργέα caro Chriſti, & quidem diuina, propter vnionem τοῦ λόγου hypoſtaticam, quaſi propterea panis cœnæ Domini corpus ipſius dicatur, quid aliud eſt quàm ebrij delirantis ſomnium? Nam etiamſi iſtud tam abſurdum commentum illi concederem, oportuiſſet ſanè Chriſtũ priùs hunc ipſum panem, quem corpus ſuum appellat comediſſe, cõcoxiſſe & (ſit honor auribus) reieciſſe, ac ſic tandem factum corpus ſuum diſcipulis præbuiſſe. Et nunc quoque vbicunque & quoties Domini Cœna adminiſtratur, Chriſtum oportuerit corporaliter præſentem hæc eadem agere, aut inuiſibiliter in cœlum ſubducere, ne nudum panem ſumeremus. Verùm ne ſic quidem panis ille fuerit Domini caro, quum cibi excrementa non fiant ipſius ſumentis caro, ſed is demum cibi ſuccus, qui carni ſumẽtis aſſimilatur. Sed his omnibus putat ſe pulchrè occurriſſe, quum Chriſtum dicit carnem illam ſuam ſic ex pane creatã in cœlo habere, ſed ex illa carne ſuam Deitatẽ infundere in panem (pag. 76.) qui proinde diuinus effectus, ſit quoque, noſtri reſpectu, caro Chriſti δυνάμει. & demum etiam credentes, ore & fide comeſus, faciat i-

tidem diuinos & ἐνεργείᾳ ipsius Christi carnem, illi in cælis manenti naturali natura & specie, vt loquitur, similis, atque adeò, vt loquitur, pag. 77, caro Christi caro inuisibilis, æternum verbum, & Spiritus sanctus: quæ non tantùm stulta, sed etiam impia portenta quid attinet pluribus refutare, quũ nulla ne rationis quidem specie nitantur? Absit enim vt Patribus, quorum testimoniis Harchium nullo cum pudore abuti ostendemus, hæc monstra vnquam in mentem venisse existimemus.

Quòd autem ad Sacramentalem symbolorum & rerum significatarum, id est, corporis illius naturalis pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi præstationem cum significatione coniunctam attinet, quod hac de re docemus, certò & expresso Dei verbo nititur. Quum enim constet Sacramenta de quibus agimus, esse promissionibus Euangelicis adiuncta, vt tanto magis de illarum præstatione certiones fiamus, cõsequitur neque ipsis promissionum verbis, neque Sacramentis aliam coniunctionem tribui posse, quàm efficacis significationis quæ à promittentis sola vi & fidelitate emanet. Etenim spiritualia sunt quæ tum verbo, tum Sacramentis & significantur & sub Euangelica, id est, fidei conditione præbentur: merè verò spiritualia ac diuina caiusmodi sunt incorporatio in Christũ, & in eodẽ collatum iustificationis, sanctificationis, & tandem glorificationis seu vitæ æternæ donum, per alium vt vllo modo efficientem causam si quis nobis tribui existimet,

existimet, aut rerum diuinarum prorsus est imperitus, aut planè impius, vt qui, quod vnius Dei est incommunicabiliter tam proprium quàm ipsa est Deitas, ad panem & vinum, res inanimatas, transferāt, aut certè cum illis communicent. Nego igitur, & pernego Deitatem aut vim vllam diuinam in ipsa signa infundi, & impiū esse hoc dogma rursum dico, eo quidem sensu quo loquitur & scribit Harchius, non quo locuti sunt Patres, quorum sententiā penitus deprauat, vt suo loco dicemus. Aio (inquam) impiū esse dogma, existimare quòd res communes, ex Dei ordinatione Sacramenta fiant, aliter intelligere, quàm quòd ad alium vsum, id est, ad res diuinas significandas, transferantur, quarum præstatio nullo modo neque à ministro neq; à verbis ipsis institutionis, neque à symbolis, sed in solidum ab vnius Dei vi, nulli prorsus rei creatæ vnquam communicata, efficitur. Falsissimū est igitur hoc deliriū ab Harchio tot modis inculcatū, ineffabili modo verbum ipsum in panem & vinū reipsa illabi, vt Domini caro fiant δυνάμει. Nec enim Sacramentalis mutatio est magis miraculosum aut ineffabile quippiā, quàm quum ex cōmuni cera fit autenticum publici instrumenti sigillum. Quanuis enim illa quidem sit diuina & diuinarum rerū causa, hæc verò humana & sanciendis rebus humanis instituta ordinatio: tamen res ipsa in genere eadē est, tantùm in eo differēs, quòd in illis Deus de vita æterna, hic verò homines de negotiis humanis paciscuntur.

Quod & Transſubſtãtiatores ſignorũ, & Cõſubſtãtiatores rerum ſignificatarum, & quidem in primis Harchium, qui ipſum æternum Dei filium maxima cum impietate pani realiter vniri docet, ſaltem ex toties à noſtris citato Auguſtini loco lib. de Trinit. 3. cap. 10. diſcere oportuit: vbi Sacramenta dicit vt religioſa honorem habere poſſe, non autem ſtuporem vt admiranda. Sed hoc iſtos omnes fefellit, quòd ea quæ Dominus verè ineffabiliter agit, dum quæ corporaliter per ſymbola ſignificat, in credentium cordibus ſpiritualiter ſua vnius virtute exequitur, cum Sacramentali mutatione confundũt: quum illud Dei opus, id eſt, Eccleſiæ & Chriſti ſpiritualis illa connexio verè magnum ſit myſterium, vt loquitur Apoſtolus: hoc verò, id eſt, rerum aliquarum à communi vſu ad aliũ extra ordinariũ ſignificandum tranſlatio à paciſcentiũ voluntate pendeat, & inter homines etiã ſit quotidianum. Sed & iſtud cõmentum, quo æterna illa æterni Filij Dei Deitas ſecundum ſubſtantiam pani vnitur, quomodo impiũ nõ eſt? Quòd enim Harchius hypoſtaticã hãc vnionẽ Deitatis & panis non eſſe cõtendit, manifeſtè, vt in Scholis loquuntur, contradictionẽ implicat. Quid enim aliud eſt, hypoſtaticè verbum illud æternũ Dei carni aſſumptæ vnitum eſſe, quàm καθ' ὑπόστασιν id eſt ſua ὑποστάσει, non autem ſola ἐνεργείᾳ aut παρουσίᾳ illi carni vnitum eſſe? Sed audio quid Harchius reſpondeat, verbum videlicet illud æternum ſic illi carni vnitum eſſe, vt cum illa vnicum ὑφιστάμενον

μόριον constituat, cum pane verò sic vniri, vt eum non actu, sed δυνάμει tãtùm efficiat corpus, nõ idem illud ipsum quod est in cœlis, sed aliud numero, natura tamen & specie, id est, etiam per inhabitantem re ipsa in pane Deitatem diuinum, postquam illud potentiale corpus ore & fide sumptum, comesum, & concoctum fuerit. Enimuerò quid hoc aliud est, quàm totidem incarnatos filios Dei statuere, quot ad Cœnam Domini ritè, & sicuti par est, accedunt? Et ineffabilem illam gratiam vni illi carni ex Maria Virgine assumptæ propriam, quamuis impari, quod ad energiam attinet, efficacitate, cum credentibus omnibus communem statuere? Vt autem apertius etiã intelligatur, quàm & ridiculum & impium sit istud commentum, quo ipsemet Dei Filius cum symbolis re ipsa vniri dicitur, fingamus Harchium non ipsum Deum, non Verbum ipsum æternum, sed quandam duntaxat ipsius virtutem, quam carnem verbi, & verbum de Deo verbo Patrũ testimonia non intelligẽs, vel peruertens sæpius appellat, intellexisse: & quænam hæc sit virtus, & cuius efficaciæ dispiciamus. Deum certè vbique οὐσιωδῶς qui esse negat, Dei infinitã essentiam negat. Vbique autem illum esse, vt rerum creatarum partem, & quasi cum illis compositam, vetus Manichæorum delirium est. Et tamen cùm, vt dicit Apostolus, in ipso, id est ipsius vnius vi viuamus, moueamur & simus: &, vt ipsi prophani scriptores cognouerunt, qua vi creata sunt omnia,

eadem etiam illa quandiu sunt fatendum sit conseruari: ex quo efficitur Deum non tãtum οὐσιωδῶς sed etiam ἐνεργητικῶς rebus omnibus, quanuis non eadem nec pari efficacitate adesse. Sed eadem illa & vnica vis diuina non pariter sese in rerum creatarum conseruatione exerit, vt in prima earum creatione sese demonstrauit. Sic enim ipsa res ex nihilo condidit, vt non tantùm prima, sed etiam sola sit rerum omnium existentiæ causa, seu materiam seu formam spectes. In rerum autem, quas ex præiacente materia condidit, conseruatione, siue specierum propagationem, siue indiuiduorum perseuerantiam spectemus, causas secundas ordinauit, per quas, quanuis iis minimè deinctus, rerum omnium ac singularum naturas conseruat. Sic à cœlo & ab agricultura soli vbertas: à sole, luna, stellis, ventis, aëris constitutio: à cibis suæ naturæ accommodatis animantium vita dependet. Sed longè aliud est rem aliquam vi sibi diuinitus insita fouere, quàm res ipsas ex nihilo condidisse. Itaque illud summa quadã benignitate rebus creatis Deus certis gradibus concessit, res naturales naturalibus causis, prout tamen ipsi libuit, conseruans. At illam creandi, id est, ex nihilo aliquid efficiendi, vim sibi vni propriam esse ac permanere voluit, vt & ipsius naturæ ordinis immutationem. Etenim Iehoua sit oportet, qui quidpiam à Non esse ad Esse traducat: vnde etiam & Filij & Spiritus sancti Deitatem ex eo probamus, quòd ijs rerum omnium existentium creatio,

creatio, vt & Patri, in sacris literis, tribuatur. Quod attinet autem ad ordinis naturæ mutationem, quæ miraculi voce propriè accepta significatur: valde hallucinantur qui (vno excepto Christo homine) vim eiusmodi miracula edendi cuiquam vnquam insitam à Deo fuisse existimant. Itaque miracula propriè appellata, quibus nimirum ordo ipse naturæ immutatur vel etiam aboletur, nulli nec Angelo nec homini accepta ferēda sūt, quasi causis vllo modo efficientibus, sed vt meris ac nudis instrumētis. Nam nec Angeli quidem boni, nec sancti homines quicquam vnquam παρὰ φύσιν egerunt: sed illi quidem Dei mandata sunt executi, rerum natura non ipsis vllo modo, sed Dei vnius conditoris mandatis obsequente. Sancti autem homines, itidem Dei mandato, siue expressa, siue tacito & intrinseco afflatu suggesta, siue precibus impetrata miracula sic ediderunt, vt nulla ipsis insita vis hoc effecerit, sed vnicum eorum externum ministerium interuenerit. Multò magis ergo quæ ab impuris siue spiritibus siue hominibus edita leguntur, vel meræ fuerunt præstigiæ: vel causarum naturalium nobis quidem occultarū, dæmonibus autem, quos nullæ res istiusmodi latēt, cognitarum effecta, quæ tamen hominibus miracula videntur: vel ab ipso Deo per malos etiam Angelos iusta sua iudicia exequente, edita. Itaque non magis Moses, quàm ipsius virga, tot miracula in AEgypto, & in deserto edidit: vt meritò Marcus 16.20, Deum ipsum dicat

miraculis Apostolicam doctrinam confirmasse, Act. 3. 16. & 4. 10. Petrus sanati claudi miraculum sic ad Christi inuocatum nomen referat, vt sibi & Ioanni nihil præter externi ministerij partes relinquat. Ad Christum autem ipsum quòd attinet, statuendū est, eum esse verum Deum natura siue essentia, & qui etiam quatenus homo est, imperium in res omnes inferiores acceperit: sed tamen opera quæ præter naturam edidit: Augustinus vni Deitati ab humanitate non quidem separatæ, sed distinctæ, attribuit his verbis Tract. in Ioan. 9. Quia (inquit) Maria non erat mater diuinitatis, " *& per diuinitatem futurum erat miraculum quod* " *petebat, respondit ei, quid mihi & tibi mulier?* " *Idem eodem loco: Esuriebat Christus, quia homo* " *erat: pauit quinque panibus tot millia, quia Deus* " *erat: dormiebat, quia homo erat, ventis & fluctibus* " *imperauit, quia Deus erat. Et Cyrillus in Ioā. lib. 2.* " *cap. 139. Propriū est (inquit) supremæ substantiæ, vt* " *mortuos possit viuificare, quod æqualiter Patri atq;* " *Filio ineſt, propriū (inquā) ἀκινωνήτως. Nā alioquin* " *non procederet Cyrilli argumētum, Deitatem Filij ex mortuos viuificandi virtute colligentis. Et idem Cyrillus lib. de Trinit. 5. Ea quæ diuino modo facta* " *sunt à Christo, non sunt humanis conditionibus at-* " *tribuenda, sed naturæ ineffabili & omnem mentem* " *transcendenti. Idem eodem libro: Posse implere* " *omnia, & transire per omnia, & sequi in omnibus* " *concedes etiam alteri naturæ à diuina, quàm diui-* "

næ?

"næ? Non equidem. Denique Christus ipse testatur
se in Spiritu Dei eiicere dæmonia, id est, vt idem
Cyrillus rectè interpretatur, in Spiritu sancto, qui
est & Patris & Filij virtus coessentialis. Idem Cy-
rillus libro in Ioan. primo, cap. 72. explicans illa
Baptistæ verba. Non enim ad mensuram ei dat Spi-
ritum, & Spiritum ipsum essentialem à donis ab
eodem per participationem communicatis distin-
"guens, Non ignoramus (inquit) Apostolorum quo-
"que manibus datum Spiritum, sed orabant illi Spi-
"ritum, qui quum veniret, manibus eorum præberi
"dictus est. Non enim ipse beatus Moses de Spiritu
"qui erat in eo accipere videbatur, & alijs præbere,
"sed soli diuinæ hoc seruatũ est potestati. Solus enim
"Deus hæc sublimia Deóque digna efficere potest.
Quorsum autem hæc omnia? nempe vt sic aduersus
Harchium colligamus. Si per hanc virtutem, cuius
illapsu reali per benedictionem mysticam, vis pa-
nem hunc fieri potentia corpus Christi, intelligis
ipsam æterni Filij Dei essentiam, plus certè huic
pani rei inanimatæ, quàm ipsis etiã Apostolis con-
cessum fuerit, vt qui Spiritus tãtùm participationẽ,
id est, dona ab ipso in ipsis creata, & quidem ad
mensuram habuerint. de quibus latè Apostolus
1. Cor. 12: Deitati etiam, vt ostendimus seruata illa
incõmunicabili miraculorum, quibus ordo naturæ
immutatur, efficiendorum potestate. Imò etiã in eo
quòd vim nos diuinitus regenerãdi dicis essentia-
liter illi pani infundi, plus huic pani, quàm ipsi
Christi carni naturali, per se, siue in sese conside-

ratæ tribuis: vtpote quæ, sicut ex Augustino & Cyrillo probauimus, illa verè sublimia & diuina opera ediderit, & etiamnũ edat, non gratia vlla habituali, vt in scholis loquuntur, sed sola vnionis gratia, id est, non quatenus homo fuit & est omnibus donis, quorum capax esse potest humana natura, perfectissimè ornatus, sed solius, solius (inquam) in sese consideratæ Deitatis respectu, humanitate, tãquam instrumento, ad ea quæ merè humana sunt præstanda, vtentis: quãuis operum Christi ἀποτελέσματα, toti personæ aduersus Nestoriũ sint tribuẽda. Quòd si per illam vim non ipsummet Filium Dei essentialiter, nec Spiritum ipsum sanctum, sed energiam in ipsa carne Christi naturali ab illis creatam intelligis, primùm meras præstigias profers. Nulla enim talis viuifica vis ipsi Christi carni inseri potuit in sese consideratæ, vt ex ijs testimoniis, quæ protulimus, apparet. Quòd enim hæc caro viuificat, ideo fit, quia hîc homo est essentialiter Deus, non quòd hæc caro sit vita in sese: quod si vita in sese non est, ne viuifica quidem est in sese. Quomodo igitur ex illum carne viuifica vis creata siue exparticipatione in panem reipsa sese insinuarit, quæ neque creata vnquam est, neque creari potuit, quoniam quicquid in semetipso viuificum est, Deus vt sit necesse est, Deus autem esse nihil quod sit creatum potest? Et tamen tantum abest, vt quoniam, ne proprietates cum Eutychete confundamus, negamus Christi carnem in sese viuificandi vim habere,

propterea

propterea naturas cum Nestorio separemus. vel homini Christo, siue carni Christi vim viuificam, contra ipsius verba manifesta adimamus, vt contra ἀποτελέσματα toti personæ, sicuti dictum est, tribuamus, contra Nestorium, & quum carnem Christi dicimus propter personaliter inhabitãs verbum illud æternum Dei, nos proinde essentiali vi Deitatis viuificare, multò plus ei tribuamus, quàm ij, qui proprietatibus naturarum cum Eutychete confusis, virtute quadam creata & participata, carnem illam viuificam factam esse contendunt. Quæ quum ita se habeant, iterum dico Harchium somniasse, quum panem Cœnæ Domini ea vi, quæ nusquam fuit, neque est, neque erit, è carne Christi delapsa, non modo diuinũ factum, sed etiam viuificandi vim, ad nos videlicet re ipsa & actu Christi corpus efficiendos, adeptum diceret: quod, si verũ esset, quanuis aliquid esse actu plus sit, quàm esse tantùm δυνάμει, tamen cùm maius quiddam sit, ac præstantius, vim habere alios viuificandi, quàm ab alio viuificari, & hoc vtrumq; tribuat illi pani Harchius, (nec enim viuificare nos Christi corpus posset hic panis, nisi prius ipsemet esset talis effectus) & posterius istud tantùm nobis relinquat Harchius, maiorem certè gratiam Deus in hũc panem, quàm in vllos Christianos contulerit. Hunc autem errorem alij multi consequuntur, distinctè quoque refutandi. Quoniam enim existimat Harchius hanc vim huic pani reipsa inseri & vniri, hinc tria effi-

ciuntur neceſſariò. Vnum, quamdiu manent panis & vinum, percepta ſemel benedictione myſtica, ſiue ſumantur, ſiue non ſumantur, id eſt extra vſum quoque rationem Sacramentorum habere. Alterum, Quicunque orc Sacramenta ſumat, vtrũque ſumere, nempe & illa ſymbola & rẽ illis reipſa inſitam & vnitam. Tertium denique, Si Filius ipſe Dei & Spiritus ſanctus reipſa & ſubſtãtialiter iſtis ſymbolis inhærẽt, Filium Dei, & Spiritum ſanctum in illis adorari debere: quos & abſurdiſſimos & teterrimos errores, Harchio cum Tranſſubſtantiatoribus & Conſubſtantiatoribus communes, ſeorſim refutabimus.

Ad primum quod attinet, quæſtio in eo tota vertitur, Num benedictione Sacramentali (id eſt, ea recitatione & explicatione inſtitutionis Cœnæ Domini, quæ ſit in legitima ipſius adminiſtratione) panis & vinum certa qualitate quapiam afficiantur, quæ ipſis re ipſa inhæreat, vt etiamſi eo ipſo tempore, quo hæc fiunt, non ſumantur, iſta qualitas ipſis vt ſubiectis impreſſa permaneat: ac proinde, ſiue ad abſentes eo ipſo tempore quo myſteria in cœtu peraguntur, deferantur, ſiue ſeorſim repoſita, prout tulerit ægrotorum neceſſitas, ipſis præbeantur, noua conſecratione, id eſt, inſtitutionis recitatione & explicatione denuo facta non ſit opus. Nos quanuis vetuſtam eſſe ſciamus reliquiarum Euchariſtiæ in hos & alios vſus reſeruationem, tamen, quoniam neque fundamentum habent iſta

in Dei

in Dei verbo, neque aliunde quàm à superstitione nata sunt, &, vt fortassis aliquando tolerabilis iste mos fuerit (quòd eò vsque nonnulli putarint istud aliquorum infirmitati concedendum) nunc tamen, propter mox sequutam idolomaniam, morem istum prorsus abolendum censemus, & symbola docemus extra vsum, sine extra illorum sumptionẽ, nullam habere Sacramentorum rationem. Constat enim hæc mysteria religiosa meras esse actiones continuas, ad quas idcircò non adhibeantur symbola corporea vt in ijs sistat sese cogitatio, sed contrà vt eos quibus præbentur ad aliud cogitandum & agendũ commoueant. Itaque sicut panis & vinum ex rebus communibus fiunt relatiuè ad rectum illorum vsum Sacramenta, citra vllam realem in ipsismet mutationem: ita mutationem illam Sacramentalem illo fine & vsu meritò circunscribimus. Afferimus & alias rationes ab exemplo tum veterum Sacramentorum, tum etiam Baptismi sumptas. Quum enim quispiam tinctus sine perfusus aqua fuerit, inuocato Patris, Filij, & Spiritus sancti nomine, cessat Sacramentũ, quod idem in circuncisione fuit: & idẽ nostri aduersarij de suis illis fictitijs Sacramẽtis Cõfirmationis, Extremæ vnctionis, Pœnitentiæ cõfiteri coguntur. Quòd autẽ excipiunt aliud statuendum esse in Eucharistia, quoniam in actione sola non consistat, nihil est. Nam Actio genus est, ad quam omnia mysteria referenda sunt, extra quam perabsurdum esset speciem aliquam NB

imaginari: & in Baptismo quoque aqua, & à Pontificijs quoque oleum in Cõfirmatione & Vnctione pluribus & operosioribus ritibus præparata adhibentur, quàm panis & vinum in Cœna Domini: quæ tamen ne ipsi quidem Sacramenta vocant, sed ad Sacramentorum administrationem, veluti materiam adhiberi concedunt. Siue ergo satis sit semel recitatam & explicatam fuisse in publico cœtu sacræ Cœnæ institutionem, ad hoc vt symbola ex rebus communibus Sacramenta euadant, ita vt in præbendis eorum reliquijs adhibeantur, quasi iam præparata, siue repetita benedictione indigeant: non habent tamen Sacramentorum rationem extra actionem his verbis præscriptam: ACCIPITE COMEDITE: ACCIPITE, BIBITE. Nam ne in naturali quidem alimonia panis habet cibi rationem, nisi in eo qui pane vescatur. Sed in eo panis hic cœlestis, id est, ad diuinum vsum significandum & præstandũ extra ordinem destinatus, (ideóque Sacramentum factus) à naturali differt, quòd naturalis vim alimentarem sibi habet à natura sic insitã, vt quandiu panis est, illa non careat, siue quispiam eo vtatur, siue minus: panis autem iste cœlestis, significatione tantùm Sacramentum, id est, spiritualis cibus est, idq; vsus ipsius respectu, nempe esus & potus: sicut aqua, quæ in Baptismo adhibetur non est baptismi aqua, nisi quis ea, sicuti par est, tingatur. Et hoc quidem mirum non est Transsubstantiatores & Harchium agnoscere noluisse,

noluisse, quum illi quidem panem in verum corpus Christi reipsa trāssubstātiari dicāt: Harchius autem " ipsummet æternum Dei verbum, seu virtutem ex " carne Christi reipsa emanantem impanari, id est, " ipsi pani inseri & vniri mysticæ benedictionis " virtute velit. Sed Consubstantiatores ipsummet corpus Christi non minùs realiter in, sub, vel cum pane copulantes mirum videri posit illud quoque Philippi verissimum axioma, quòd symbola extra vsum non habeant Sacramentorum rationem, non vt quædam alia, falsitatis damnasse: nisi res ipsa satis superque demonstraret nondum istos homines, quid dicant aut scribant satis cogitasse.

Profert autem hoc loco Harchius nonnulla, qui- " bus respondendum videtur. Nam (inquit pag. 89.) " nisi viuifica gratia perpetuò manet etiam in reli- " quiis communionis, quid deferebant Diaconi ad " absentes, teste Iustino in Apologet? Respondeo, non aliud dicere Iustinum, quàm quo tempore Cœna Domini in publico cœtu celebrabatur, habitā etiam fuisse rationem eorum, qui propter morbū abessent à cœtu, & ad illos fuisse missā per Diaconos Eucharistiā. Vna igitur & eadē erat hæc actio, ac proinde nihil pertinet ad asseruatas epuli sacri reliquias. " Profert Harchius postea Serapionis cuiusdam exem- " plum ex Eusebio, lib. 6. cap. 34. Cui animam agenti " nocte missum fuerit paululum Eucharistiæ. Item, " quod dicit Hieronymus de Exuperio Episcopo To- " losano, qui corpus Domini portarit in canistro, "

„ *ſanguinem autem in vitro. Item illud de Ter-*
„ *tulliani vxore ſeruante domi ſuæ Euchariſtiam.*
„ *Item illud de Satyro fratre Ambroſij, Euchariſtiam*
„ *quaſi viaticum in collo portante. Et de Heremi-*
„ *tis, ſi aberat ſacerdos, à ſe ipſis Euchariſtiam acci-*
„ *pientibus: cuiuſmodi alia plura repeti ex antiqua*
hiſtoria poſſunt. Quorſum autem hæc? nempe vt colligatur nõ temerè aſſeruatas olim fuiſſe iſtas reliquias, & nunc etiam non malè in templis Chriſtianorum ſeruari, manente in Sacramentis etiam aſſeruatis benedictionis virtute, vt diſertè ad Coloſyrium ſcribit Cyrillus. Nos verò non an aſſeruata, ſed an meritò aſſeruata fuerint illa fragmenta quærimus. Conſtat enim ex Dei verbo diſertè inhibitum à Domino fuiſſe, ne quid ex agno Paſchæ, expreſſo Euchariſtiæ noſtræ typo, in poſterum diem ſeruaretur: & in aliis ſacrificiis Leuit. 7. idem non temerè præcipitur, nempe, vt omnis aditus ſuperſtitioni præcluderetur. Et certè quum Paulus idolothyta in macello vænalia expoſita, non vult inter res prophanas cenſeri, extra vſum profanorum ſacrificiorum, ſatis etiam oſtendit, quænam viciſſim tum fuerit in Eccleſia de Euchariſtici epuli reliquiis ſententia. Tum autem fuit valde difficile & penè ἀδύνατον, quum Chriſtiani cibum ſimul caperent in ſuis Agapis, (quod ad multa ſecula, præſertim in concurſu ad martyrum μνημεῖα viguit) ita dimetiri panem & vinum quæ peculiariter

liariter Sacramentali esui destinabantur, quin aliquid plerunque superesset, de quibus varia, imò etiam repugnantia statuta fuisse ex vetustorum scriptis apparet: ac proinde opinionem istam de Sanctificationis alicuius in ipsis symbolis inhærentia non statim irrepsisse. Iubentur enim ex Clemente Romano Pontifice, de Consecr. Distinct. 2. cap. Tribus gradibus, Clerici reliquias fragmentorum corporis Domini sepositas in sacrarium eo ipso die consumere: & Hesychius Nazianzeni discipulus in Leuit. 8. sui seculi morem fuisse decet, vt quod superfuisset, cremaretur: quod etiamnum hodie in multis, vt loquuntur, casibus apud ipsos Pontificios obseruatur. Apud Nicephorum autem lib. 17. cap. 25. & in Concilio Matisconensi secundo, adhibebantur etiam Scholastici illis edendis reliquiis. Quid amplius? Fatetur ipse Harchius aliquando fuisse vetitum, (veluti Concilio Toletano primo cap. 14. Et Cæsarauguſtano cap. 3. addita etiam perpetui anathematis pœna) nequis domum Eucharistiam deportaret: contra quàm fecit Gorgonia Nanzianzeni soror, & (glisscente paulatim superstitione, quæ tandem in istam horrendam circungestationem & idolomaniam deuenit) alij proculdubiò non pauci. Quid igitur hic profert Harchius, quo istud suum dogma confirmari possit? Nam, vt cætera omittam, si qua ratio est seruandi Eucharistiæ panis, eadem etiam in altero symbolo, nempe vino valeat necesse est, nisi discerpendam

esse putet, quæ Dominus coniunxit. Cedò verò cur panem potiùs isti quàm vinum asseruant? nempe (inquiunt omni amisso pudore Transsubstantiatores) quòd vinum facilius acescat, quum tamen omnem vini substantiam euanuisse velint. Et hæc fortassis fuit præcipua ratio azymi vsurpandi panis, & orbiculares illas tenues offulas præbendi. Denique quis sanæ mentis non videt, ægrotis (nam aliæ superstitiones domi reseruandi sacri panis iam pridem apud ipsos obsoleuerunt) etiamsi illa valeret sententia, longè melius consuli, si de integro tota Sacramentalis actio apud ipsos renouetur, quàm si rancido pane, præterito verbo, quod est symbolorũ velut anima quædam, pascantur? Et de hoc quidem hactenus.

Alter error ex illa reali siue corporis ipsius, siue Deitatis Christi in pane & vino inexistẽtia hic est, quòd quisquis ore sumit symbola, ipsum etiã Christum ore sumat, quod & verbo Dei expresso & Sacramentorum naturæ ex diametro repugnat. Ac de corpore quidem ipso Christi physico nunc non disputo, sed aduersus Harchium dico vix vllum posse magis insanire, quàm qui opinetur Deitatem ipsum Filij & Sp. sancti posse corporis sensibus percipi. Ad hoc autẽ deliriũ accedit etiã duplex impietas: vna,

" *quòd corpus Christi, quod vocat, putat ab infidelibus*
" *etiã & hæreticis sumi, quasi cõmunio vlla esse possit*
" *luci cũ tenebris: altera, quòd ab ipsa percepta Dei-*
" *tate virtutem eius in nonnullis separet: quod est*

ipsam

ipſam Deitatem diuidere. Qua de re mox dicemus.

Tertius error eſt in adoratione ſymbolorum, quam modò tollit, modò in veneratione mutat, modò ſtatuit Harchius: & certè, ſi verũ eſt eius dogma, de reali & eſſentiali æterni verbi & Spiritus ſancti cum ſymbolis vnitione, adoratio tum interna tum externa excludi nec poteſt nec debet. Quam diſputationem in tractationem quæſtionis de Cœnæ Domini adminiſtrandæ ratione placet reijcere.

Nunc igitur agamus de Cœnæ Domini effectis, quæ duplicia ſtatuit Harchius: vna videlicet, quæ ipſa ſymbola reſpiciunt, vtpote quæ Deitatis illapſu reali fiant ipſum Chriſti corpus θυσία: altera quæ ad nos pertineant, qui viuificorum ſymbolorum ore & viua fide perceptorum virtute fiamus ipſum Chriſti corpus actu, non tamen illud ipſum idem numero, quod ſumpſit ex Virgine, & quod nunc eſt in cœlis, ſed ei ſpecie & natura ſimile. Et de illis quidem prioribus paulò antè copioſè diximus, quòd propriè pertineant ad quæſtionem de ſymbolorum & rerum ſignificatarum copulatione. Ac proinde ſupereſt, vt de poſterioribus agamus, id eſt, de ijs, quorum in nobis efficiendorum, vel potius faciendorum cauſa Dominus hæc myſteria inſtituit: quæ tractatio in tribus quæſtionibus poſita videtur. Vna videlicet, quid ex Cœna Domini conſequamur: altera, per quid, ceu efficientem cauſam, id conſequamur: tertia, quo perceptionis modo id con-

sequamur. Nam in his tribus valde ab Harchio dissentimus. Vult enim ipse in summa, quod ad primum quæsitū attinet, nos non ipsum illud naturale pro nobis traditum corpus, & naturalem illum pro nobis effusum sanguinem, sed potentiale corpus participare, ex Deitate Christi & Spiritus sancti in panem & vinum illud substantialiter illapsa, & ipsis panis & vini symbolis creatum: cuius manducatione, potu, & concoctione transeamus in corpus Christi, id est, fiamus homines Christo, etsi non æquales, tamen similes. Deinde Deificationem illā nostram vult ex ipsismet symbolis, quibus vnita & permixta sit illa transfusa Deitas, in nos emanare: vt, sicut naturaliter & corporali huius seculi alimonia, corpus hoc nostrum alitur substantia ipsa panis & vini propter vim nutriendis nostris corporibus à Deo illis insitam: ita etiam spiritualem illam vim, qua regeneramur in æternam vitam, ex illo ipso pane propter Deitatem in ipso ex Christi carne substātialiter permixtam, & quasi cum illis symbolis temperatam, & ore & fide sumamus. Postremò spiritualem quidem esse vult istius in Christi corpus trāsitionis modū, sed cū corporali, quod ad panis & vini substantias ore perceptas attinet, coniunctum. Nos autem de primo primùm agamus.

Primùm igitur quæro ex quo tandem Scripturæ loco didicerit, plura ipsi Christo corpora tribuere: vnum videlicet naturale, alterum potentiale ex Deitate

Deitate & pane conflatum: ac tertium denique actuale ex Deitate verbi & Sp. sancti essentiali & illis panis ac vini symbolis creatū. Scio responsurum esse, vel ipsius fautores, si quos habet (quandoquidē hunc hominem Deus ex hoc mundo tempestiuè sustulit) se non hæc duo posteriora corpora, quæ postea in vnum conflantur ipsi Christo attribuere, sed potentiale quidem in ipsis symbolis constituere: actuale verò in singulis Christi membris. Et fortaßis tam erunt etiam nonnulli impudentes, vt ad suum istud deliriū probandū verbi Dei testimoniis abutātur: quoniā nimirū & panis ille corpus Christi dicitur, & vinum illud Christi sanguis: & Ecclesia quoq; corpus Christi vocatur. Sed si talem corporis Christi propagationē statuamus, quid supereſt nisi vt Valentini etiam ἀμώνας ab inferis reuocemus? Res autem ita se habet. Quum de Filij Dei incarnatione loquimur, corpus intelligimus verè humanum, & antè & post depositā infirmitatem circunscriptum, visibile, & locale, vtpote cui gloria neque substantiam ipsam humanæ naturæ, neque essentiales proprietates ademit: qua in re Harchius quoque rectè nobis assentitur. Quum autem symbola audimus corpus & sanguinem à Christo vocari, nos itidem, quod ad ipsas in se se voces attinet, nullam ὁμωνυμίαν statuimus, quum non aliud corpus nisi verum illud sit pro nobis traditum, nec alius sanguis nisi ille verus & naturalis pro nobis effusus: & expressis verbis panis ille dicatur esse illud

ipsum corpus pro nobis traditum, & vinum ille ipse sanguis pro nobis effusus, sed Sacramentali μετωνυμία dicimus symbolis attribui rerum significatarum nomina, vt Sacramentalis significationis vis perspiciatur. Quum autem Ecclesia Christi corpus vocatur, tum corporis nomen pro compacta credentiũ multitudine ὁμωνύμως accipimus, veluti quũ corpus alicuius ciuitatis, aut regni, aut collegij nominamus: nec tamen diffitemur Ecclesiam non simpliciter corpus, sed cum adiectione Christi corpus dici: nimirum quoniã huius omniũ mẽbrorum coniunctionis & deuinctionis vinculum & velut anima quædam est ipse Christus, vt copiosè declarat multis locis Apostolus, ac præsertim Ephes. 1. 23, & 4. 16. Sed hoc corpus mysticum, quod nos sumus, à corpore pro nobis tradito & sanguine pro nobis effuso, de quibus demum in verbis institutionis Cœnæ Domini agitur, vsque adeò non distinguere, vt hoc etiam ad illud introducẽdum extrudatur, non tantùm insanientis, sed etiam impij hominis esse videtur. Præterea panis ille iam tum quum in manus traditur, imò quum verba institutionis Cœnæ ritè recitantur & explicantur, certè fit Sacramentaliter Christi corpus, aut inanis est mystica benedictio: aut non corpus Christi, sed panem accipiunt credẽtes. Merum igitur delirium est opinari tum demùm fieri Christi corpus quum per concoctionem in corpore credentium factam ipsi transeũt in Christi corpus. Ac proinde non fuerat dicendum HOC EST,

EST, sed HOC ERIT CORPVS MEVM. Et rursum, si, vt vult Harchius, istud de corpore mystico intelligendum est, aut ipse, aut Christus (quod ab sit) mendax comperietur. Et hîc operæprecium est intelligere, quomodo Harchius, quum se premi verbo EST præsentis temporis videret, huic obiectioni occurrerit. (pagin. 39.) Primùm respondet ex Augustino, sæpe in Scripturis dici esse quod non est, sed quod vel mox erit, vel esse potest: Ex quo (inquit) intelligere potes non esse absurdum quod dicimus, nempe panem Eucharistiæ non esse carnem actu, etsi sic appelletur: sed quia manducatus ab homine fideli, qui est corpus Christi, trãsit demum in carnem actualem, licèt antea vim & energiam carnis Christi habuerit. Si hanc phrasin Scripturæ Harchius idcirco protulisset, vt hæc verba, QVOD TRADITVR, & QVI EFFVNDITVR, quamuis præsenti tempore enuncientur, de re tamen mox futura intelligãtur, appositè loquutus esset. (Hoc enim historica ipsa narratio demõstrat) sed quod interdũ in Scripturis occurrit, hîc locũ habere, vbi manifestè nõ quid futurus sit hic panis, postquã comestº & cõcoctus fuerit, sed quid sit ostenditur, id est, vt à communi vsu ad Sacramentalem trãsferatur, extremæ profectò est impudentiæ. Vt demus enim pro EST scriptum esse ERIT, an de corpore mystico istud, QVOD TRADITVR & QVI EFFVNDITVR, intelligi, poterit? ista igitur ne refutatione quidẽ in-

digent. Altera autem responsio, quam affert Harchius, non minus est impudens. Nec enim (inquit) Dominus dixit, Hoc est corpus meum, accipite comedite, sed Accipite, comedite, Hoc est corpus meũ, quoniam (inquit pag. 80.) etiamsi panis Eucharistiæ sit virtute caro Christi, & realiter corpus verbi ante manducationem: tamen vt fiat actu vera caro debet priùs manducari, & nutritionis lege in carnis formã conuerti. Quasi verò res ipsa nõ ostẽdat manifestè, voluisse Christũ discipulos priùs intelligere, quale esset quod illis probebat, quàm id acciperẽt & comederẽt. Vt autẽ valeret Harchij figmẽtum, priùs acceptum & manducatum fuisse panem oporteret, quàm ex Christo, qualis hic esset cibus, intelligerent: quod si verum esset, quomodo ex fide panem illum manducassent discipuli, quum verbis nondum ex Christo auditis credere non potuerint? Præterea quomodo stabit illud Harchij: panem etiam antè manducationẽ corpus verbi potentialiter fieri, si manducationem non præcedunt benedictionis verba? Itaque nihil dici potuit istis ineptius.

Sed & illud cuiusmodi tandem est, quòd singulos fideles vult Christi mysticum corpus fieri, hoc (inquam) obsecro quàm ridiculum est? Nec enim singuli fideles dicuntur Christi corpus, sed Christi membra, quæ simul sub Christo capite coniũcta Ecclesiam constituũt. Nec enim dicit Paulus ἓν σῶμα ἕκαστος ἐσμὲν, sed ἓν σῶμα οἱ πολλοὶ ἐσμὲν: & tamen

Harchius

Harchius (pag. 66.) nescio quo ineptissimo dialogismo vult infantem baptizatum esse corpus Christi, imò etiam Christum iure adoptionis: & quodam etiam alio loco, nos neotericos Euangelicos Zuinglianos & Caluinianos quos vocat, comminiscitur sic loquentes probare. Procul dubiò verò nobis imprimis hic obiecerit Harchius ex patribus, spirituale illam carnem, quàm à crucifixa distinguunt. Quasi verò duplici respectu, (corporali videlicet & spirituali modo, siue corporis sensu & intellectu) carnem Christi considerare & percipere, efficiat duas carnes ex vna: vt ex illis duabus vna demum sit naturalis & qualis est verè humana, altera verò sit ipsamet Deitas, idcirco caro vocata, quoniam à carne Christi naturali in panem ineffabiliter illabatur eique permisceatur, vt postea ex potentiali corpore fiat naturalis caro.

Quid amplius? Harchius suum istud idolũ supra ipsum quoq; Christũ, quatenus mediator est, euchẽs (pag. libri ipsius secũdò editi. 183.) infinita (inquit) illa beatæ Trinitatis essentia cum omnibus naturalibus & essentialibus proprietatibus Christi & corporis eiusdem, est in hoc pane in terra, nunquam absens à Christo in cœlo. Atqui ego adhuc credidi, quamuis vnica sit essentia diuina & tres personæ sint ἐνυπόστατοι, nihilominus tamen solam τῷ λόγου ὑπόστασιν esse incarnatam. Itaque, si verum est Harchij dogma, aut tota trinitas (idem enim est trinitatis essentia atque ipsa trinitas, siue essentia

absolutè, non autem relatè consideratа) carnem nostrã assumpserit: aut panis iste plus in sese illapsum sibiq; vnitum & permixtum habebit, (vt passim loquitur idem Harchius) quàm ipsa Christi caro. Itaque iam iste panis non erit appellandus CORPVS VERBI siue SPIRITVS Christi, (sic enim interpretatur ipsemet Harchius (pag. eiusdem libri 186.) sed spiritus Trinitatis: & sic tãdem dignè hunc panem recipientes non tantùm transibunt in Fluum sed etiam in Patrem & Spir. sanctum. Et quis tandẽ erit istorum portentorum finis? Deinde, si naturales & essentiales omnes corporis Christi proprietates cœlitus in hũc panem reipsa sese per mysticã benedictionem in terra infundunt: palpabile autem esse, ac locale, & circumscriptum, naturalis ac essentialis est prorsus corporis Christi quantumlibet glorificati proprietas, an nõ manifestissimè subuertit Harchius quicquid contra Transsubstantiatores & Consubstantiatores hoc codẽ libro rectè asseruit?

Quæro præterea, quum ipse minimè neget oportere nos ex Christi carne petere, quicquid ad vitam æternam necessarium est, imò ipsammet etiam æternam vitam, quæro (inquam) quomodo secũ ipse consentiat sic scribens pag. prioris libri 61. Non minùs (inquit) est Christus in baptismo, quàm in eucharistia, verùm per Diuinitatẽ non humanitatem: & tamen non pudet eundem Harchium (pag. eiusdem lib. secundæ editionis 142.) hæc Origenis verba proferre: Suscipimus carnem verbi non solum in

Sacra-

Sacramento, sed etiam quum fideliter audimus Dei "
verbum: & ista Hieronymi, Quando audimus ver- "
bum Dei, tunc caro Christi & sanguis eius in no-
stras aures funditur. Cedò igitur, Harchij discipu-
li, quid amplius in hoc pane & hoc vino, quàm in
aqua baptismi & in simplici verbo quæritis?
Respondet Harchius (pag. 143.) In his quidem por- "
tionem verbi æterni & Spiritus sancti: in illis verò "
totum corpus verbi æterni in Christo corporaliter "
habitantis cum tota plenitudine gratiæ apponi, vt "
quisque tantum de eo sumat, quantum capit fides "
singulorum propria. Atqui hoc non est respondere,
sed illudere. Nec enim nunc quærimus, plus an
minus in his vel illis detur, sed an idem detur, id
est, illa ipsa Christi humanitas. Si hoc negatis, ergo
extra Christi humanitatem salutem ponitis, id est,
vultis aliquos seruari, qui vestrũ illud potentiale
corpus Christi non perceperint, nisi fortasse absolutè
necessariã esse omnibus ad salutem putatis Eucha-
ristiæ sumptionem: sin verò conceditis, deceperit
sese & vos Harchius, quum humanitatem Christi à
baptismo excluderet, & totum hoc vestrum dogma
de corpore verbi & potentiali & actuali corpore
corruet. Sed quid si rursum ostendero vestrum
Harchium alibi plus tribuere simplici verbo, quàm
huic potentiali corpori, cui totam Trinitatis essen-
tiam vnitam esse vult? Sic enim ille pagina eius-
dem libri secundæ editionis 34. Diligens lectio san-
ctarum Scripturarum est verius corpus Christi, id

„ *est, melius nobis Christum & eius facta, dictáque ob*
„ *oculos ponit, & viuidius illius nobis memoriam*
„ *refricat, quàm panis Eucharistiæ, qui memoria*
„ *tantùm est, & muta Christi figura. Et ne mirum*
cuiquam videatur sic scripsisse Harchiū, ecce Aug.
verba de verbis Domini in orat. 26. ab ipso citata
pag. prioris libri 107. (Nā in posteriore editione par
„ *tē huiº loci cōsultò prætermittit) Interrogo vos, fratres,*
„ *inquit Augustinus, quid vobis plus esse videtur,*
„ *Verbum Dei, an corpus Christi? Si verum vultis*
„ *respondere, dicetis quòd nō minus sit verbum Dei.*
Intelligit autem Augustinus per Dei verbum, illud
quod per prædicationem erogatur, vt eodem loco
subijcit. Quînam igitur Harchium secum conciliabimus? Id certè fieri nō potest, nisi in hac posteriore
sententia quæ verissima est, abnegata priore prorsus
phanatica, perseueret. Res enim ita se habet. Mediator noster est vnicus Christus secundum vtrang.
naturam, sed ita vt sicut persona non diuiditur, sic
sua cuique naturæ inconfusè tribuantur, diuina
nimirum diuinæ, humana humanæ, sicut Leo Romanus Episcopus, opera profectò egregia in hoc argumento nauata, in illa celebratissima Epistola
scribit. Totum ergo illum fieri nostrum oportet vt in
eo cūcta obtineamus ad salutē necessaria: & quum
secundum carnem ad nos accedat, immò idcirco
factus sit homo, vt frater noster esset, necesse est vt
ipsius caro sit medium propinquum nostræ cum ipso
coniunctionis, quanuis à diuina virtute ipsa

coniunctio

coniũctio pendeat. Opus enim istud inchoët & perficiat diuina virtus oportet. Sed vt in Christo electi sumus ita in ipso diligimur, non tãtùm adsciti, sed etiã adsciscẽdi: & postea vocamur ita vt hæc diuina virtus opus illud suũ extra carnem Christi nõ efficiat. Et ne quis excipiat cum Harchio, virtutem tamen seu vim illam diuinã Christi, siue τὸν λόγον extra carnẽ eius sese exeruisse, saltẽ antequàm reipsa in vtero virginis crearetur: respondendum est Christi carnem, quod ad Deum attinet, semper fuisse in ipsius oculis præsentem, & vt nõ in ea quasi iam existente, at certè propter eam nascituram, ab origine mundi effusa fuisse in omnes electos dona ad salutem necessaria. Vidit enim Abraham diem Domini, inquit Christus. Dauid autem Psal. 2. & 110. in primis Christum oculis fidei, quasi iam Regem in cruce coronatum, & ad dexteram Patris euectum oculis fidei contemplatur: & patres eandem atque nos escam comederunt: & eundem potum biberunt, id est Christum, interprete Apostolo, quod ad solam Deitatem Christi cum Harchio restringere, est fundamẽta fidei Christianæ cõuellere. Stat enim illud, Christus erat heri, & est hodie: non modo quoniã Deus est Patri συναΐδιος, sed etiã quoniam ab æterno decretus est secundũ vtramque naturam Mediator, quamuis in plenitudine temporũ Verbum sit factum caro. Denig, Deum in idolũ trãsformamus, si citra sanguinis Filij ipsius effusionẽ eum existimamus vnquã fuisse cuiquam ho-

mini reconciliatum. Idolum enim est Deus, qui citra pœnam condignam in vnico mediatore persolutam quenquam seruauerit : quam ob causam etiam, quod ad propitiationem attinet, dicitur Agnus ille ab origine mundi occisus. Sicut autem vnicus fuit, est, & erit ad nouissimam vsque diem mediator Christus secundum vtramque naturam, id est natura humana pœnas nostris peccatis debitas persoluente, Deitate verò illi obedientiæ dignitatem, ac efficaciam necessariam conciliante : ita vnicum semper fuit in Ecclesia ordinarium instrumentum, quo electi ad Christum sibi applicãdum idonei redderẽtur, Fides videlicet, vt vniuersa scriptura testatur: & hæc rursus fides, quum sit ex auditu (mutua enim est & perpetua inter Deũ loquentem & electos auditis assentientes, & credita sibi applicantes relatio) consequitur Verbum Euangelij illud esse vnicum instrumentum, quod meritò vocat Apostolus, Dei potentiam ad salutem cuiuis credẽti. Alioqui mentitus esset Petrus, quum diceret suo ac discipulorum nomine, Verba vitæ æternæ habes : & rursum quum verbũ illud ipsum prædicatũ, præceptoris Christi vestigijs insistens, semen incorruptum appellaret. Quid autem est semine prius in quolibet generato? & quid illi semini deesse potest vnde profectus fœtus gignitur? Nam etiam alicubi Harchius vult, Cyrilli testimonio abutens, Eucharistiæ semen viuificum inesse, eò suum illum essentiæ Trinitatis in hũc diuinum panem

nem illa ipſum detorquens. At nos non ambigimus, & Chriſtum totum, & totum Chriſti nobis tam in verbo ſimplici, quàm Sacramentis adhibitis, veluti nobis euidentiore facto, verè perfidem percipiendum proponi, quòd neque Deus electos ſuos aliter quàm vni Chriſto ſuo, vero Deo & vero homini ſpiritualiter vnitos vnquã ſeruarit, aut ſeruet, aut ſit ſeruaturus: neque à verbo ſimplici Sacramẽta, ſignificatæ & præbitæ rei reſpectu, ſed ſignificationis modo differre arbitramur, quoniã videlicet, vt ſcitiſſimè loquitur Auguſtinus, ſunt verba viſibilia, id eſt, hoc ipſum oculis renũtiant, quod verba auribus audientium ſignificant. In ſumma igitur tum in verbo ſimplici Euangelij, tum in ſacris myſterijs Chriſtus totus nobis ſpiritualiter per fidem applicandus præbetur: neque exiſtimandus eſt aut in verbum vocale, aut in ſymbola Sacramentalia illabi vel infundi reipſa, ſed quod externis ſenſibus vtraque illa promittũt, hoc in cordibus credentiũ efficere & obſignare Sp. ſanctũ doctorem illũ veritatis, omnes credentes Chriſto inſerentẽ, ex quo illi poſtea, quicquid ad ſalutem neceſſarium eſt, hauriunt.

Quæro & illud vbi didicerit Harchius rem Sacramenti ab ipſius fructu ſeiungere, id eſt, à Chriſti carne per Diuinitatem in ipſa corporaliter habitante viuificata & viuifica, viuificationem ſeparare. Nam audio quidem Euangelium, id eſt, Euangelij prædicationem, alijs vitam, aliis mortem ſpirare, 2. Cor. 2. 16. at ipſummet Chriſtum vitam non mor-

tem esse vbique inuenio, & Christum quidem agnosco credentes seruaturum, à quibus nimirum fide recipitur, cæteros autem morti adiudicaturum, nempe à quibus reiicitur: & symbola quidem lego ab alijs dignè ad vitam, ab alijs verò indignè ad iudicium sumi, rem autem ipsam symbolis significatam aliter quàm vera fide sumi nusquã lego. Num enim qui vera fide sumit, indignè sumit? Neque his obstat, quòd apud Patres & præsertim Augustinum, corpus Domini interdum sumi etiam ab impijs dicitur. Tum enim hac Corporis voce non res Sacramenti significata, sed signum significans intelligitur: quo sensu etiam hæ locutiones intelligendæ sunt, Corpus Domini intrare in os, cadere in terram, consumi, & eiusmodi plurima: idq; ita esse apertè idem Augustinus docet, quũ non de fructu, sed de re Sacramenti, id est, de Christo ipso loquens, Hic cibus (inquit) non est ventris, sed mentis: & alibi corpus Domini, symbolicum videlicet siue symbolo repræsentatum, à corpore Domino, id est, ab ipsa re Sacramẽti manifestè distinguit. Et hæc profert quidem etiam Harchius aduersus oralem ipsius carnis Christi manducationem, sed ita, vt magis etiam absurdum errorem inuehat. Vtrum enim magis absurdum est dictu, carnem Christi naturalem (posito ipsa illã præsentem esse, in, sub, vel cum ipso pane) à quibusvis panem ore sumentibus ore quoq; simul sumi: an vero dicere cum Harchio, totam ipsius Trinitatis essentiam, vtputa pani re ipsa

re ipsa vnitam & permixtam, tum ore tum fide sumi, idq; absque fructu? Nam hîc quoque est alius ipsius grauissimus error, quòd in hoc argumẽto nomine Fideliũ eos etiã comprehẽdit, qui fidem tantùm historicam habent: qua qui præditi sunt, nihil certè amplius, aut fortassis etiam minus habent quàm dæmones. Itaque horrendum est cogitare tales vllo modo existimare Deitatem in sese recipere, quum nulla sit communio Christo cum Belial, neq;, teste Apostolo, possint esse participes mensæ Domini & mensæ dæmoniorũ. Neque hîc mihi obiiciat Harchius Diuinitatem vbique esse, ac proinde hoc respectu ab indignis quoque sumi. Nam hac responsione non modò nõ stabilitur, sed etiam prorsus euertitur dogmatis ipsius fundamentum. Quînam enim dixerit id in panem illabi mysticæ benedictionis virtute, quod iam antea, quũ sit vbiq;, in pane etiam erat? At non per inhabitationis gratiã (inquit Harchius.) quod si cõcesserò, cõsequetur vera fide destitutos, si sumãt rẽ Sacramenti, non tamen sumere quia Diuinitas sit vbique. Num verò idcirco, quòd Diuinitas insit in pane per inhabitationis gratiam? Demus hoc Harchio (quod tamen, vt ipse quidem intelligit, falsissimum est, vt mox explicabimus) concludendum erit profectò, ipsas etiam bestias (quandoquidem hanc habitationem definit reali & essentiali cum ipsis symbolis vnitione) si symbola sumpserint, quod ipsis symbolis realiter cohæret, necessariò sumere: quam etiam

consequutionẽ effugere vllis strophis neque Transsubstantiatores, neque Consubstantiatores possunt. Veritas autem hæc est. Solam hypostasin Filij vni & soli assumptæ nostræ naturæ suæ ipsius subsłantia vnitam: hanc carnem esse vnicum, reale, & propinquum nostræ cum Deo reconciliationis vinculum: hanc recõciliationem ad eos demum pertinere, qui sese huic carni per veram fidem adiungunt: hanc fidem esse singulare Dei donum, cuius efficacia à Sp. sancto promanans Christi carnem id est, vinculum illud credentibus applicatum illos Christo spiritualiter vniat: Spir. sanctum, vt hanc fidem in nobis creet, & semel creatam foueat, tum verbo simplici tum Sacramentis vti, non vim aliquam illis instillando, sed intus sua vnius vi efficiendo, quod verbum auribus & Sacramenta oculis renuntiant: solos igitur vera fide præditos rem Sacramẽti & rem Verbi participare. Nec inde consequitur, integrum igitur Sacramentũ solis fidelibus præberi: siue prout credentes vel increduli fuerint, qui ad mensam Domini accedunt, statuendum esse vera vel falsa esse Sacramenta. Hoc (inquam) minimè cõsequitur. Ridicula enim est vtraque hæc consequutio, Datur, ergo accipitur: Non accipitur, ergo nõ datur. Sed hoc verè concluditur, Christus verax est, ergo nũquam offert sacra symbola, quin etiam verè offerat, quod per illa significat: ac proinde vera sunt semper & integra Sacramenta ex Dei verbo. Sed, quoniam symbola quidem præbentur manui & ori, res autem

tem significatæ, id est, ipsemet Christus menti fideli præbetur, idcirco omnes quidem manum & os afferentes symbola percipiunt, mens verò vera fide nō prædita, rem Sacramenti repudiat: ac proinde reus non fit talis quispiam indignè sumti corporis & sanguinis Domini, (nisi per corpus & sanguinem ipsa illorum symbola metonymia Sacramentali intelligas) sed corporis & sanguinis Domini contempti, & per incredulitatem repudiati, ipsiúsque adeò tam sacræ actionis turpiter contaminatæ. Itaque, vt semel hunc locum concludam, vsque adeò coniuncta sunt & connexa vita & caro Christi, quoniam caro filij Dei est, vt neque vitæ particeps esse quisquam extra illius carnis, vnici vinculi nostræ cum vita colligationis, participationem possit, neque quisquam illius esse particeps, siue in verbo, siue in Sacramētis, qui ex ea non viuificetur: & qui contrarium statuunt Christum diuidant, de quibus quid statuendum sit, docet Spiritus sanctus, 1. Ioan. 4. 3. Proinde quantum fallatur Harchius apparet, qui Deitatem nō modò in hypostasi τῷ λόγου relatè consideratam, quæ vna est incarnata, sed absolutè totius Trinitatis illabi vult in panem, vt illo ad Diuinitatem potentialem redacto, postea singuli fiamus ipsius Christi actuale corpus. Quasi verò ex carne Christi emanare possit, quod non est incarnatum: aut Christi diuinitas sit nostræ vnitionis vinculum, ac non potiùs per carnem ad nos ipse appropinquarit, vt per eam nostram factam, Deo

adiungamur, quamuis hanc vim caro non sibi quasi subiecto inhærentem, sed quatenus in filij Dei hypostasi subsistit, obtineat: siue, vt verè quamuis barbarè loquuntur in scholis, nō de gratia vlla habituali, sed de gratia vnionis sit istud accipiendum: quod qui non intelligunt, multa Cyrilli loca depraua̅t, quasi vt Nestorij scopulum vitaret, Eutychianus euaserit.

Sed iam tēpus est aliquid de ista inhabitationis gratia dicere. Notus est ille versiculus, Enter præsenter Deus est & obig potēter. Et hæc quidem est vniuersalis, id est, ad res omnes creatas relata Dei tum existentia, quæ, vt inquit Augustinus, nec mole distenditur, nec partitione minuitur: tum etiam in illis quamdiu & quomodo illi libet, conseruādis virtus ac potentia. Sed amplius aliquid significatur Habitādi voce. Nā & habitare in cœlis dicitur Deo nempe ab effectis, quòd videlicet illustriora ibi collocarit maiestatis ac gloriæ suæ signa. Sic etiam dictus est in medio populi sui habitare, partim propter visibilia suæ præsentiæ cum singulari benignitate coniunctæ symbola, partim propterea quòd, cæteris gentibus ad tempus desertis, huic soli populo gratiā illam suam salutarē impertiretur: sicut & hodie in ijs quorum & animos & corpora sibi sancti sui Spiritus virtute sanctificauit, dicitur Spiritus sanctus tāquam in templo habitare, 1. Cor. 3. 16: itidémque pater & filius, Ioan. 14. 23: denique dicitur plenitudo Deitatis habitare in Christo. Coloss. 2. 9.

Discri-

Discrimen autem inter ista qui non intellexerunt, iam pridem teterrimos errores in Ecclesiam inuexerunt, cuiusmodi fuit Manichæorum delirium à Serueto nostra memoria renouatum, quòd Dei essentia rebus omnibus sese vniret, sicut apud Poëtam dicitur Spiritus siue mens totam mundi molem sic agitare, vt se magno in corpore misceat. Contra verò Nestorius æterni verbi vnionem hypostaticam cum humana natura non intelligens sola παρουσίᾳ καὶ σχέσει, Deum putauit in Christi carne habitare, vt & in reliquis sanctis: relicta tantùm Christo ἀξιώσει, id est Autoritate & eminentia, vt inter multos fratres primogenito. Hanc impietatem superioribus annis ab inferis reuocarunt Brentius & Iacobus Andræas, diserè scribentes, Deum, quod ad essentiam attinet, non aliter esse in Christo, quàm in rebus omnibus, sed petendam esse distinctionem ab energia: & his verbis, VERBVM CARO FACTVM EST non aliud significari, quàm quòd Deus in reliquos quædam, in filiũ autem Mariæ omnia dona, imò omnes Deitatis proprietates effundat: vt sic & secundum Nestorium diuidatur persona, & secundum Eutycheten proprietates naturarum confundãtur. Harchius autem contrariam prorsus viam ingressus vult non in Christi tantum carne essentialiter vniri Verbum æternum, vt illam reddat diuinam, (quod epithetõ ambiguũ est) sed etiã illud in Cœnæ Domini symbola reipsa & actu illabi, eisque vniri

& permiſceri, vt ſint & ipſa diuina per eandem ipſam Deitatem (& quidem non tantùm verbi, ſed etiam totius Trinitatis) quæ carnem naturalem Chriſti diuinam reddit: vt ſymbola ſic fiant potentialiter (id eſt, vt ego interpretor, habitudine & diſpoſitione quadã) corpus Chriſti, non quidem idem numero atque illud phyſicum & naturale quod eſt in cœlis, ſed ei tamen virtute ſimile: ac tandem vera fide præditi panem illum ſumentes fiant ſinguli actuale corpus Chriſti, hypoſtatica tamen vnione vni Chriſto ſeruata: quod abſurdiſſimum & inſaniſſimum dogma, quamuis à nobis aliquatenus refutatum, priuſquàm plenius refellamus, dicendum arbitror, quid hac de re ſit ex Dei verbo & orthodoxæ Eccleſiæ ſententia ſtatuendum.

Primùm omnium igitur exiſtentia illa Dei, qua ſicut eſſentia ipſius infinita eſt & impartibilis, ita etiam vbique eſt, eſſentialiter præſens, & omnia ſibi habens præſentia, neque tota ex integrantibus partibus conſtans, neque vt in loco, ſed non minùs ineffabili & incomprehenſibili modo, quàm ipſa eſt in ſeſe immenſa, tum ab ipſius præſentiæ vniuerſalis energia diſtinguenda eſt, tum in primis ab hypoſtaſi Filij Dei incarnatione. Quanuis enim nuſquam ſit Deitas ocioſa, tamen aliud eſt Adeſſe, quàm aliquid efficere, & huius effectionis non vna eſt ſpecies. Nam alia eſt vniuerſalis res omnes ea ipſa virtute, qua conditæ ſunt, tum viſibiles, tum inuiſi-

inuisibiles: tum ex naturæ ordine, tum præter aut contra illum ordinem gubernans: alia est verò magis etiam mirifica, & ipsis etiam Angelis incomprehensibilis, qua videlicet factum est, vt, quanuis tres personæ sint vnica Deitas, non ex tribus aggregata, sed in singulis vnica & prorsus eadem, sintq; hæ personæ ἐνυπόστατοι, nihilominus tamen sola persona, quæ Filius Dei est æternus, ita sese arctè cum nostra carne ex Dauidis filia Virgine secundũ suas promissiones assumpta adiunxit, vt non modo cunctis, quarum capax esse res creata potest, dotibus illam perfectissimè repleuerit, sed etiam, (salua semper manentibus & naturis ipsis & essentialibus earum proprietatibus, quibus nimirum sublatis esse desinerent id quod sunt, & quibus immutatis, tales amplius non essent, quales sunt, ac proinde Christus nec verus Deus esset, nec verus homo) illã ad suam ipsius hypstasin redegerit: nec iam Filius ille hominis sit diuinus duntaxat aut etiam diuinissimus, (id est excellentissimis donis Dei supra res omnes alias creatas ornatus) sed etiam ipsemet Dei Filius non ex duobus filiis conflatus, sed à Filio Dei (vt ita loquar) personatus: & ita in Christo sit quidẽ Aliud & Aliud, nempe ὁ λόγος, & indiuiduum humanũ assumptum, non sit autem Alius & Alius: sicut aduersus Samosatenum φιλὸν ἄνθρωπον statuentem: aduersus Arium creatam Deitatem inuehentem, eámque pro anima in carne assumpta substituentem: aduersus Nestorium σχετικὴν & ἐνεργητικὴν,

ſicut & hodie noſtri Vbiquitarij, παρουσίαν loco hypoſtaticæ vnionis ſubſtituẽtem: aduerſus Eutychen denique pro vnione confuſionem naturarum ponentem, tota vetus Eccleſia ex Dei verbo, ex infinitis difficultatibus & certaminibus eluctata, conſtituit.

Supereſt ea Habitatio quæ ſic ὁμωνύμως cum ſuperiore ſignificatur, ſed quæ quum à Paulo, adiecta particula σωματικῶς, & a Patribus vnionis Hypoſtaticæ voce determinetur, facilè ab ea diſcernatur. Eſt enim illa vni Chriſto propria, & οὐσιώδης in Filij hypoſtaſi: iſta verò eſt omnibus ſanctis communis, & merè σχετικὴ καὶ ἐνεργητικὴ, quod ad Deitatis Chriſti participationẽ attinet: humanæ verò naturæ nobis cõmunicatæ reſpectu etiã ἕνωτικὴ, ſed citra vllam συναφὴν realem: ac merè ſpiritualis, quanuis eius beneficium ad corpus etiam hominis redundet. Habitare igitur Deus in ſolis ſuis ſanctis dicitur, non eſſentialis neque vniuerſalis, ac multo minùs hypoſtaticæ alicuius vnionis reſpectu, ſed quoniam illos in Filio mediatore facit omnium ad vitam æternam neceſſariorum donorum participes. Dicitur autem etiam Deus habitare in iis, quibus tum gratiæ tum etiam iudiciorum ſuorum inſtrumentis vtitur. Nam & in tabernaculo & in templo paſſim dicitur habitaſſe & fuiſſe in Prophetis, & arcæ ipſi tribuitur Dei nomen, quæ & ipſa habitatio tota eſt ἐνεργητικὴ, ſed à ſuperiore in eo diuerſa; quòd Deus verè agit quicquid ſpirituale eſt, inſtrumenta verò

verò, quæcunque tandem illa sint, siue inanimata videlicet, vt Sacramenta, siue animata, vt Prophetæ, Pastores & alij, externum tantùm opus administrant. Sed hæc omnia supereſt vt ex verbo Dei probemus. Quod attinet igitur ad illam vniuersalem tum præsentiam, tum etiam potentiam, non videtur probatione indigere, quum non sit à nobis aduersus Epicureos instituta disputatio. Hypostaticam autem vnionem esse ipsarum naturarum, & toto genere ab ea habitatione quæ in sanctis est, differre, quum innumerabilibus penè testimonijs aduersus omnia illa hæreticorum monstra, omnium patrum & veterum illarum decantatissimarum synodorum perspicuo consensu fuerit demonstratum, nolui multas chartas istorum certaminum repetitione implere. Tantùm dico non esse hodie Christianum censendum, qui Christum verè & essentialiter Deum & hominem esse inficietur. Sed habitationem Dei in sanctis merè σχετικὴν & ἐνεργητικὴν esse, & rursus eam, quæ est in Sacramentis, aliam esse prorsus ab ea, quam ponit Harchius, supereſt vt ex Dei verbo demonstremus. Illud igitur nobis tenendum est, non aliter nos Christum recipere, quàm per ipsius Spiritum, qui est Spiritus sanctus, & rursum non aliter Spiritum à nobis accipi, quàm ipse Christus acceperit: quæ quum sint verbo Dei testatissima, citatis testimonijs non puto indigere. Sed & illud constat, Christum, quatenus Deus est, esse natura vnum cum Patre & Spiritu

ſancto Deum, ac proinde ſemper fuiſſe Patri & Sp. ſancto ἐνυπόστατον, vt tam verè dicere potuerit Chriſtus, Spiritus ſanctus in me eſt, & ego in eo, quàm eadem prorſus ratione, dixit, Ego in Patre, & Pater in me eſt: eſſentialiter nimirum & ab æterno. Secundum humanã autem naturam Spiritum ſanctum dicitur accepiſſe. Ioan. 3. 34. Sed & Ioan. 17. 19. dicitur ſeipſum ſanctificare. Ex quo intelligimus duas eſſe naturas in vna Chriſti perſona, Deitatem videlicet ſanctificantem, & humanitatem ſanctificatam: quod vtrunque diuiniſsimè Paulus declarauit, Colloſ. 2. 9. quum diceret totam plenitudinem Deitatis habitare in Chriſto σωματικῶς: ſicut Ioannes Baptiſta Ioan. 3. 34. per Spiritum non ad menſuram acceptum de Spiritu participato loquebatur: vt & Spiritus ſanctus Pſal. 44, Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis: in quem locum Cyrillus in Ioan. lib. 2. cap. 3. Memi-

" *neris (iuquit) ſecundum formam ſerui, qua Patre*
" *minor eſt, & à Patre & à Spiritu ſancto, & à ſeipſo,*
" *qui Verbum & Filius eſt, eſſe ſanctificatum, ſicut*
" *ipſe dicit, pro eis ſanctificabo meipſum. Idque etiam apertiſsimè ab Apoſtolo declaratur, quum dicit efficacitate Dei Chriſtum, ſecũdum carnem videlicet, à mortuis fuiſſe excitatum. Et huc ſpectat appoſitiſsima illa diſtinctio à Scholaſticis vſurpata inter Gratiam vnionis, ſecundum quam hic homo eſt eſſentialiter Deus, vtpote verbum & Dei Filius vnige-*

vnigenitus: & Gratiam, quam habitualem vocant, Cyrillus autem σχετικὴν, & Latini ex participatione appellant, secundum quam hæc assumpta natura humana non est Deus essentia, sed qualitate & efficacitate diuinissimus: nec tamẽ θεόφορον, vt illum vocabat Nestorius personã diuidens, vt puta qui hãc diuinitatem carni, vt subiecto, insitam non aliunde neque extrinsecus, sed à semetipso, id est, à Deitate in ipsomet per gratiam vnionis inhabitante sibi ipsi donet. Quæ quum ita se habeant, efficitur necessariò Deum dici in nobis omnibus habitare non essentialiter, (nam aliud esse diximus Adesse quam Habitare) sed σχετικῶς siue ἐνεργητικῶς, ex carnis Christi participatione, vt mox ostendemus. Et certè non aliter possunt illa Christi verba intelligi, Ioan. 14. 23. Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nec enim dici possunt venire vbi iam erant essentialiter, sed secundum energiam, non illam vniuersalem, de qua loquens Apostolus Actorum decimo septimo, in ipso sumus (inquit) mouemur & viuimus, sed secundum illam sanctis & electis in Christo propriam. Quod ergo dicit Paulus, 1. Corinth. 6. 17, Qui adhæret Domino vnus spiritus est: & illud Petri, Diuinæ naturæ fieri participes, 2. Pet. 1. 4. ad energiam & dona Spiritus præsertim illa ἀμεταμέλητα, non autem ad vllum essentialem intra nos illapsum referenda sunt. Datur igitur, est, & habitat in nobis

Spiritus sanctus, siue Deus, siue Pater, siue Filius per Spiritum sanctum, quia docet nos omnem veritatem, Ioan. 16. 13, & Esai. 54. 13: & renunciat nobis, quæ ex Christo accipit, Ioan. 16. 4: & operatur omnia in omnibus videlicet sanctis, 1. Cor. 12. 6: & testimonium reddit spiritui nostro, quòd Filij Dei simus, Rom. 8. 16: & clamat in cordibus nostris Abba Pater, Gal. 4. 6, id est, facit vt clamemus, Rom. 8. 15: ac per eum actiones corporis mortificamus, & ab ipso ducimur, Rom. 8. 13, 14: & per eum cognoscimus nos in Deo habitare, & ipsum in nobis, 1. Ioan. 4. 13: & data nobis est mens, vt cognoscamus eum, qui verax est: cuiusmodi alia penè innumerabilia ex sacris literis depromi possunt. Itaque constat & Diuinitatis qualitatem, id est diuinissimas illas omnes dotes, quarum capax est caro ex Spiritu sancto in vtero virginis concepta (distinguimus enim inter θεότητα, id est Deitatem, vt loquitur Paulus, quæ est essentialis: & θειότητα, quæ est qualitas creata) in Christi carne tanquam subiecto inhærentes, & dona Dei, quorum respectu in sanctis dicitur habitare, ad energiam vt ad commune genus esse referenda, & secundum plus & minus differre: quoniam videlicet ex Christi plenitudine omnes accipiamus: tum etiam in eo vel maximè, quòd illæ qualitates non sint in Christo extrinsecus aduentitiæ, sed ipsemet eas Deus suæ carni, vt sibi propriè & hypostaticè vnitæ perfectissimè suppeditet. Iam autem docendum nobis est ex

eodem

eodem Dei verbo, vnde tandem illæ qualitates prodeant, per quem & quibus instrumentis interuenientibus in nobis efficiãtur. Prouenire igitur illas omnes à Dei bonitate, natura ipsa quantumuis corrupta nos docet: & testatur etiam Scriptura Iacob. 1.17, idque in Christo. Loquimur enim de donis sanctorum proprius, Spiritus enim (inquit) de meo accipiet, & annuntiabit vobis, Ioan.16.14: &, Ego meipsum sanctifico, vt & ipsi sanctificentur, Ioan. 17.19: &, Pater nos in illo dilecto sibi gratis effecit gratos, Eph.1.6: denig; ex ipsius plenitudine omnes accipimus, Ioan.1.16. Cedò verò, num Christum hîc considerabimus vt instrumentalem duntaxat causam, quæ non agat, sed agatur? Minimè id verò. Habet enim vitam in semetipso, & verè Mediator, ac Seruator est totus, & secundum sui totum, quia, (vt rectè scribit Augustinus & alij): neq; Filij Dei-" tas sine humanitate, neque humanitas sine Dei-" tate Mediatrix est: sed ita, vt cuique naturæ sua" tum οὐσία, tum etiam voluntas, tum operatio distinctè, diuina diuinæ, humana humanæ seruentur, quanuis ἀποτελέσματα sint toti personæ communia.

Omnia porrò Christi in Ecclesiam suam propriè collata dona, ad quatuor reuocantur ab Apostolo, 1.Cor.1.30: nempe ad Sapientiam, Iustificationem, Sanctificationem, & Redemptionem: quas inquit, factum esse nobis Christum, id est quarum causa Christus sit in mundum missus à Deo, siue factus

homo : quæ omnia vnico viuificationis verbo comprehẽdit Christus, Ioan. 5. 21. 8. & Apostolus, Eph. 2. 1, & 5. A tenim cuius est naturæ viuificare? diuinæ certè vnius, cuius & creare, Deut. 39. 1, Sam. 2. 6. »*& alibi infinitis locis. Nam (vt inquit Cyrillus li-* »*bro de recta fide ad Reginas) posse viuificare id* »*quod vita indigum est, soli Deo conuenit: vnde etiam Deitatem suã probat Christus, quum inquit se habere potestatem deponendi animam suam & rursum illam sumendi, Ioan. 10. 18 : & ex eo quòd Christus sua ipsius virtute resurrexit, Deitatem ipsius demonstrat Apostolus ad Rom. 1. 4: quod si locum habet in huius caducæ vitæ munere vel tribuendo, vel, postquam semel amissum fuit, restituendo, multo certè magis de vita illa æterna istud intelligendum est, quæ est ipsemet Deus, quatenus ipse in sese æternum vivit : & proprium ipsius effectum in solidum, quatenus res creatas principium existentiæ habentes vult dissolutionis esse expertes.*

Et vt ad illa quatuor accedamus, quæ sunt à nobis ex Apostolo commemorata, cuius est naturæ ad Sapientiam, id est, ad saluificam veri Dei cognitionem homines eò vsque sua culpa delapsos, vt ipsorum φρόνημα sit odium aduersus Deum, Rom. 8. 7, & quæ Dei sunt ne cogitare quidem ex seipsis possint, 2. Corinth. 3. 5. reuocare, nisi eius vnius, qui, quod nobis ingratis iusto suo iudicio eripuit, vnus quoque potest restituere? Sic enim

enim Christus Petri confessionem laudans, Caro & sanguis (inquit) hæc non retexit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis, Matth.16.17: & Ioannes Deum (inquit) nemo vidit vnquam, vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, nobis eum exposuit, Ioan.1.18. Vnde & illud Ioan.3.6. Quod genitum ex carne est, caro est, & quod genitum ex Spiritu est, spiritus est. Nam Gignendi voce principium existentiæ declaratur: & quum Sapientia comparetur luci, ignorantia verò tenebris, huc referendum est, quod dicitur Eph.1.17. Patrem gloriæ dare nobis Spiritum sapientiæ & reuelationis, illuminatis oculis mentis nostræ, quod dicendi genus passim apud Prophetas, & in scriptis Apostolicis notum est inculcari. Et de sapientia quidem hactenus.

Cuinam autem Iustificationem tribuemus? vni certè Deo, Rom.5.26, & 4.5, & 8.43, Galat.3.8: vnus siquidem Deus peccata remittit, Luc.5.21. Posita est autem omnis iustificatio in remissione peccatorum, Rom.4.7: & ideo iustitia hæc in imputatione posita, Rom.4.6: iustitia Dei vocatur, Rom.1.17, & 3.21, 2.Cor.5.21, Phil.3.9, & Esa.53.11.

Iam verò quod ad Sanctificationem nostram attinet, quæ & regneratio & purificatio cordis, & noua creatio vocatur, necesse est eam non aliunde oriri, quàm ab eo, qui ipsamet est sanctitas, quem compellãs Dauid, Cor mundum (inquit) crea in me

Deus: nec diceretur nouus homo natus ex Spiritu, nisi Spiritus sanctus esset illius generationis autor, Ioan.3.6, & 1.Ioan.2.29.

Superest redēptio, quo nomine Paulus intelligit nostræ à peccato & morte liberationis, & in vitam beatam introductionis cōplementum, vltimo demū illo die futurum, quomodo etiam loquitur Dominus Luc.21.28: & Rom.8.23: quod beneficium quis in nobis perficere potest, nisi vnus ille Deus, cuius gratia sumus, quicquid sumus?

Stat igitur illud abundè confirmatum, vnius esse diuinæ naturæ, hæc omnia & singula in nobis efficere. Quum autem Trinitatis opera ita sint trium personarum propria, vt tamen singularum personarum distinctio in eodem opere efficiendo seruetur: idcirco dicitur Pater nos in Filio seruare, Filius autem per semetipsum, Spiritus sanctus denique, quòd missus à Patre & Filio mysterium salutis nobis applicet? Sed Christi sicuti proprium est corpus, ita proprium est opus, quod in corpore suo pro nobis peregit: ab eo quidem non separādum sed distinguendum, quòd quatenus Deus est communiter cum Patre & Spiritu sancto est operatus, & quotidie adhuc operatur. Quæ distinctio, vt perspicuè intelligatur, age per quatuor illa, de quibus diximus, generalia Dei in nos beneficia decurramus.

Christus Sapientia nostra est, primum vt Deus cū Patre & Spiritu sancto diuina virtute, depulsis depra-

deprauatæ naturæ tenebris, lucẽ in nobis accendẽs, vt veri discipuli fiamus ad intelligenda, quæ Dei sunt. Deinde nobis est Sapientia vt homo, in quo quum reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ, Col. 2. 3. necesse est vt has quoque ex ipsius plenitudine hauriamus. Est autẽ hæc sapiẽtia animæ Christi vt subiecto inhærens, non illa sapientia essentialis ipsius carni hypostaticè vnita, sed qualitas ab hac ipsa vnita Deitate in animam Christi plenissimè & abundantissimè effusa, vt inde in omnes electos redundet, quorum nimirum causa humanam naturam, & omnes ipsi tributas dotes assumpsit.

Sic nos quoque tum vt Deus iustificat, nobis non imputans peccata, & gratis ea nobis remittens, atq; adeo, loco eorum omnium quæ mortem æternam merentur, & iustissimos etiam in sese homines maledictioni reddunt obnoxios, ea omnia nobis imputans, quæ vitam æternam ex pacto diuinæ legis merentur. Iustificat igitur nos etiam vt homo, non iustitia illa essentiali ipsi vnita, vt somniauit impurus ille Osiander, sed habituali siue qualitate creata, & (sicut de sapientia diximus) ipsius Christi animæ assumptæ, tanquam subiecto, inhærente: quæ rursus distinguenda nobis est, vt totum hoc mysterium imputatæ nobis iustitiæ Christi penitus perspiciatur.

Habitualis ergo siue creata illa iustitia Christi partim significat illum perfectissimæ integratis &

ad implendã omnem iustitiã aptitudinis habitum, quo ab ipso conceptu perfectissima & integerrima ipsius anima imbuta est, cum perfecta itidem corporis & omnium ipsius sensuum dispositione, ad vltro implendum, quicquid purissima anima per corpus agere voluit: partim autem istius habitus effectiones, & acquisitam hoc etiam modo iustitiam declarat. Itaque tribus modis iustissimus fuit, & in æternum erit Christus: vno, essentialiter, quatenus est verus Deus: altero vt omnium virtutum habitu præditus homo: tertio denique, quatenus omnem iustitiam reipsa impleuit perfectissimè præstita Patris voluntate, propter quã missus fuerat: & cui Patri tũ anima tũ corpore perfectissimè obediẽs vsque ad mortem, mortem autem crucis, meritò iustissimus hac etiam in parte dicendus est: idque contrario quàm hominibus accidat ordine. Præcedit enim in hominibus (quales post lapsum nascimur.) ἕξις ex sancti Spiritus gratia, quæ tandem frequenti vsu euadit ἕξις, (de qua loquens Ioannes, Iustus est, inquit, qui iustitiã facit, 1. Ioan. 3.7:) hîc quidem (vt modo dicemus) inchoata, in altera autem demum vita consummanda. Sed in Christo præcessit perfectissima ἕξις, quæ realem alteram iustitiam in ipso peperit: qualis etiam erat futura Adami iustitia actualis, nisi habituali per peccatum excidisset.

Ex hac autem iustitia triplici essentialis illa tam propria est Deo & ἀπαράλλακτος, quàm ipsamet Deitas,

Deitas, ac proinde, si deliriũ Osiãdri valeret, omnes credentes essentiali Dei iustitia iustificati illud ipsum essent, quod est Deus: sicut homo ille assumptus propterea dicitur Deus, quòd essentialis Deitas verbi, ac proinde iustitia sit ipsi vnita. Nam rectè omnino Cyrillus in Ioan. lib. 2. ca. 51. Nihil (inquit)" firmum ac stabile, nihil perpetuum soli Deo attribuetur, si creatura quoque ea substãtialiter & per" naturam suscipere poterit, quæ in Deo substantialiter sunt. Nec tamen propterea censendũ est nullas" esse essentialis iustitiæ in nobis iustificandis partes. Nam illa ipsa est, quæ duplicem illam alteram iustitiam creatam inenarrabili virtute perfundit, vt Deo Patri infinitè placeat, & propterea iustitia Dei nuncupetur, vtpote quæ vnica coram Dei tribunali sit coronãda. Iam verò, quum, vt ait Esaias, Puer iste natus sit nobis: quod etiam Angeli pastoribus inculcant, Luc. 2. 11. vtraque etiam illa iustitia nostri causa assumpta est: vt videlicet Dei iustitia efficiamur in eo, 2. Cos. 5. 21. id est, vtraque nobis, interuentu fidei, imputata, non modo à peccatis absoluamur, sed etiã cohæredes cum ipso facti simul quoque coronemur.

Nunc ad Sanctificationis beneficium veniamus, quod & ipsum duplex est: vnũ videlicet ex sanctificatione humanæ naturæ Christi ab ipso virginis vtero plenissimè sanctificatæ, Mat. 1. 20, & Luc. 1. 35. nobis imputata. Sanctificat nos ergo Christus vt Deus, naturæ suæ humanæ sanctimoniam gratis

imputans, qua non modo tegatur nostra omnis natiua corruptio, quam propterea in assumpta carne nostra aboleuit, sed etiam sancti & immaculati censeamur: & nos sanctificat vt homo, quoniam hæc ipsa sanctificatio quæ nobis imputatur, humanæ ipsius naturæ, vt subiecto, insidet & inheret, vtpote qua seipsum sanctificauerit, vt in eo sanctificaremur, sicut ipsemet loquitur Ioan. 17. 19. Alterum autem sanctificationis beneficium prorsus diuersum quiddam est. Sic enim vocamus donum illud, quo vetus quidem homo mortificatur, nouus autem in illius locum succedit, id est, tum mentis facultates omnes, tum mens ipsa illuminatur in agnitionem veritatis: voluntas autem immutatur, vt incipiamus & velle, & facere, quæ Dei sunt. Et hæc est iustitia, id est, noua qualitas in nobis per meram gratiam creata, & animo nostro quasi subiecto inhærens, quam rursum Christus vt Deus cum Patre & Spiritu sancto in nobis efficit, quamobrē etiā modò Patri, modò Filio, modò Spiritui sancto beneficiū istud attribuitur. Rectè autē Cyrillus in Ioan. li. 11. cap. 25. Participatione Spiritus sancti viuificare, supremæ tantùm naturæ opus est. Sed rursum eandem Christus, vt homo, non aliter, quàm fons riuum, in nobis gignit, quatenus videlicet ex ipsius humanæ naturæ perfecta sanctitate in nos ipsi adiunctos, qua ipsi libuit mēsura, effunditur, quod vtrumque beneficium diuinissimè Paulus sic explicat, Rom. 8. 3. Quum enim (inquit) legis impotentia nihil posset

in

in carne, Deus, suo ipsius Filio misso, conformato carni peccato obnoxiæ, idq; pro peccato (id est, ad abolendam in ipso nostræ carnis omnem corruptionem & labem) condemnauit peccatum in carne, vt illud ius Legis compleatur in nobis, qui non secundum carnem incedimus, sed secundum Spiritum. Et rectè Cyrillus, Spiritum (inquit) propter nos vt homo recepit, vt totam naturam sanctificaret, in Ioan. lib. 2. cap. 3. Nec pigebit plura eiusdem Cyrilli verba ex lib. in Ioan. 11. ca. 2. 5. referre, vt totum hoc sanctificationis tum in ipsa Christi carne creatæ, tum in nos ex illa emanantis mysterium planissimè explicetur. Sanctificari (inquit) secundum legalem consuetudinem dicitur, quod, vt sacrum, Deo tribuitur: participatione verò Spir. sancti sanctificare, supremæ tantum naturæ opus est: Et mox, Arbitramur autem carnem Domini per Spiritum fuisse sanctificatam similitudine aliarum creaturarum, proprio templo à Filio Dei peruncto, sicut Psalmista quoque vnigeniti personam cum humanitate cõsiderans, clamat, Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cõsortib. tuis: & propter nos seipsum sanctificat, vt ab eo ad nos redundante sanctificatione, ipsi sanctificemur in veritate, id est, in Spir sancto. Item: Nulla res ex nihilo producta, sanctificationis fructum per naturam habet, id est, à seipsa, sed eam gratiam ab eo acquirit, qui natura sanctus est. Quoniam ergo caro Christi non natura sancta, sanctificata in Christo est à verbo

" *Dei, quod habitat in ea, quodque templum ſuum*
" *ſanctificauit: Item, ſed quomodo ſanctificatur, qui*
" *naturaliter ſanctus eſt? nempe naturam noſtram*
" *abſolutiſſimè abſque peccato ineffabiliter ſponte*
" *ſibi coniungens, vt eam in ſe primo & per ſeipſum*
" *ad priſtinam pulchritudinem reſtitueret: vtque cæ-*
" *leſtis ipſe homo & Adam ſecundus, primus omnium*
" *in noua vita, iuſtitia, & ſanctificatione ſpiritali cõ-*
" *ſtitutus, cuncta per ſe bona generi noſtro immittat.*
" *Quum igitur ſanctus natura ſit Deus, quumque*
" *ipſe ſanctificationẽ Spiritus creaturis immittat, ef-*
" *ficiátque vt creatura & ſit & duret in ſancto Spi-*
" *ritu, propter nos ſanctificatur, non ab alio id acqui-*
" *rens, ſed ipſe ſuæ carni ſanctificationem immittens.*
" *Ita Spiritum ſibi ipſi vt Deus præbet, & vt homo,*
" *accipit, quod non propter ſeipſum, ſed propter nos*
" *fecit, vt ex ipſo & in ipſo primo recepta ſanctificatio-*
" *nis gratia ad totũ gen' trãſiret. Hactenus Cyrillus.*

Cum hac ſanctitate & iuſtitia tum imputata tum inhærẽte vſque adeo cohæret vita æterna perpetuo nexu, ſcribente Habacuc Propheta Iuſtum ex fide viuere, vt Viuificationis nomine omnia ſuperiora intelligantur, quoniam videlicet vt omnis maledictio à peccato eſt, quod nos à Dei benignitate ſeiungit, ſeiunctio autem à Deo mors: ita benedictio cum ſanctitate & iuſtitia cohæret, quibus Deo adiungimur. Coniunctio verò cum Deo vita eſt. Sed in eo quarto Chriſti beneficio, quod nobis nunc explicandum ſupereſt, vitæ nomine intelli-

telligimus perennem illum felicißimum ſtatum, in quo cum Chriſto capite noſtro in cœlis regnabimus, & cuius arrhabonem in mentibus noſtris iam nunc obtinemus, fidei πληροφορίᾳ inuiſibilia cernẽtes, & ſpei firmitate quaſi iam in cœlis conſiſtentes, & charitate ſuis fructibus noſtram adoptionem in nobis teſtificante, alacriter huius vitæ curriculum emetientes, donec non morte, ſed ſuauiſſimo ſomno ſuperueniente, anima quidem ad Chriſtum emigret pleniùs felicißimam illam vitam cũ illo degußtatura, corpus autem terræ mandatum ad ἀφθαρσίαν paulatim formetur ad vltimum vſque illum diem, in quo beatißima vita toti perfruemur. Hanc igitur vitam Chriſtus, quatenus Deus eſt, nobis cum Patre & Spi. ſancto largitur, quum ſit Deus vnicus fons exiſtẽtiæ & cõſeruationis rerũ omniũ, ac præſertim huius æternæ felicitatis. Huic autem opponitur mors tum prima tum ſecunda, quæ & æterna vocatur: vtraque etſi iuſto Dei iudicio ordinata & decreta, mimimè tamen à Deo, ſed à Sathana & peccato exorta. Deinde hanc ipſam vitam Chriſtus, vt Deus, nobis non aliunde, quàm in ſua ipſius carne largitur: qua de re ſic pulcherrimè Cyrillus in illud Chriſti Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, &c. lib. in Ioan. 10. cap. 13. Caro "
vitæ facta vnigeniti caro ad virtutem vitæ tradu- "
cta eſt: non poteſt igitur morte ſuperari, propterea "
in nobis facta interitum à nobis expellit. Non e- "
nim abeſt ab ea vnigeniti Dei filius, id eſt, natura "

humana quum assumeretur ab vnigenito, facta est æterna vita viuens per Deitatem, in qua subsistit: vnde duo consequuntur, nempe nō posse illam à morte superari, & quoniam assumpta est nostri viuificandi causa, omnes qui fiunt eius participes, in illa quoque viuificari. Et ne quis putaret hanc viuificandi vim ab ipsa carne, vt causa efficiente, promanare, addit prudenter Cyrillus, viuificam esse, non in sese, sed in Verbo ipsi hypostaticè vnitò. Quemadmodum ergo de sapientia, iustitia, & sanctitate diximus, ita duplex est in vnica Christi persona vita, vt & duplex natura: vna αὐτοζωή, nempe Deitas ipsa: altera, istius effectum, vita videlicet creata & assumptæ naturæ, vt qualitas, insita: eáq; rursum duplex, nempe tum animalis, qua videlicet subsistentem in sese assumptam naturam totam viuificauit ὁ λόγος ad tempus, id est, tantisper dum pro nobis in infirmitate illius satisfieret: tum spiritualis & æterna, qua post peractum suum opus cœlum ascendens frui cœpit, & cuius veluti semen adiunctis sibi membris iam nunc instillat, donec plenissimè toti in eo & cum eo sempiterna felicitate perfruamur.

Horum autem omnium, quæ de Christi in nos beneficijs diximus, hæc summa est, Vnicam Deitatem Patris in Filio per Spiritum sanctum hæc omnia Ecclesiæ σχετικῶς non essentialiter largiri: depromi verò ex Christi humanitate, tanquam abundantissimo nec vnquam exhauriēdo, & in hunc ipsum

finem

finem constructo diuinitus, & summè locupletato thesauro, vt inde in omnes credentes exuberet. Et hic quæstio duplex agitatur. Sunt. n. qui nobis, quos falso & inuidioso nomine Zvvinglianos & Caluinianos appellant, hoc dogma tribuant, quòd in Cœna Domini pro re Sacramenti non corpus ipsum pro nobis traditum, neque sanguinem ipsum pro nobis effusum, sed Christi tantum merita statuamus. Saltem verò pro Meritorum voce dona & energiam Christi statuerent. Qui verò nobis hoc obijciunt, quia & symbola & rem significatam (id est, ipsum corpus & ipsum sanguinẽ) reipsa cũ pane & vino eodem loco sisti volunt: vtraque eodem oris instrumento sumi à quibusvis contendunt: ac proinde, sicuti nos accusant falsò quasi energiam Christi absque participatione corporis & sanguinis ponamus, ita hoc in illis, & verè quidem reprehẽdimus, quòd pro fidei spirituali organo os corporeũ substituant, & in indignè accedentibus corpus Christi energia viuifica spolient. Nos autem sic de istis sentimus ac docemus.

Quum Christi beneficia, tum quæ per solam imputationem, tum quæ per realem efficacitatem nobis conferũtur, sint qualitates Christi carni, vt subiecto, inhærentes, à quo in credentes per Spir. sanctũ redundant, non minus absurdum est existimare, quempiam fieri bonorum illorum compotem absque carnis ipsius, id est, subiecti, cui propriè inhærent, & à quo emanant, participatione, quàm si quis dice-

ret, corpus posse ex ea anima vitam haurire, qua ipsi non insit, aut posse quempiam cibo, quē non comedat, aut potu quem non bibat nutriri. Itaque tantum abest vt sola illa Christi dona siue energiam, siue merita, si quis volet, pro re Sacramenti in Cœna Domini statuamus, secluſa ipsius Christi carne & ſanguine, vt etiā & in ſimplicis verbi prædicatione, & in baptiſmo Chriſtum ſemper ipſum in carne nobis per fidem ſemper ſumendum proponi aſſeramus, quoniam, (vt rectè inquit Cyrillus) Spiritus in Chriſto ſummè cum carne cōiunctus eſt, & caro etiam cum Spiritu: ita vt neque carnem eius abſque energia, neque energiam abſque carne ſumere vel in ſimplici verbo, vel in Sacramentis poſſimus. Sed hoc adiicimus, ſicut in ſimplici verbo verbum quidem prædicatum Chriſtum nobis voce annuntians auriū ſenſu percipitur, Chriſtus autem ipſe verbo prædicato ſignificatus non niſi intellectu credente recipitur: ita etiam in Baptiſmo quidem corpus aqua illa tingi, mentem verò credentis ſanguine per aquā ſignificato abluiri: in Cœna verò pane illo & vino illo corpus paſci, carne autē & ſanguine Domini animam credentis (vt loquitur Tertullianus) ſaginari. Saginatio autem iſta non eſt in reali contactu carnis ipſius poſita (quod neq; carnis Chriſti veritas, neq; analogia inter Chriſti carnem perceptam, & mentem noſtram, qua velut inſtrumento percipitur) pati poteſt, ſed tota ſpiritualis eſt, & huc tendens, vt, quem-

quemadmodum naturali vinculo anima cum corpore coniuncta sensum & motum naturalem corpori insinuat: ita spirituali & ineffabili mysterio (vt loquitur Paulus Ephes. 5.30.& 32.) cum ea Christi natura qua frater noster est, per fidem apprehensa coniuncti, ab ipsa non ipsam corporis aut sanguinis substantiam cum nostro corpore & sanguine realiter adiungendam, nec ipsius animam cum anima nostra reipsa agglutinandam ad nos atrahamus: (quæ omnia neque virtuti, neque nostræ salutis mysterio consentanea sunt, sed Cyclopica & Capernaitica.) verùm vt qualitates in illa, sicuti diximus, humana Christi natura, nostra causa Diuinitus ab ipso verbo assumente creatæ, sicut etiam nostri causa fuit à verbo assumpta, nobis sancti Spiritus virtute verè communicentur: aliæ quidem per imputationem, aliæ verò sese nobis reipsa insinuantes, & ex illius ceu capitis plentiudine, sicut lumen ex lumine accensum, & sicut calor ex calore prodiens, in nos spiritualiter ipsi adhærentia membra defluentes: cuiusmodi sunt illa Spir. sancti χαρίσματα & ἐνεργήματα, quæ commemorat Apostolus, 1. Cor. 12. tum omnibus sanctis communia, vt cognitionis veri Dei, fidei, spei, charitatis, viuificæ denique virtutis corpora etiã nostra suo tẽpore viuificaturæ donũ: tum pro diuersa particulariũ in Ecclesia vocationum ratione, spiritualiter huic & illi attributa. Verissimum est igitur, quod ait Cyrillus, illam vitis parabolam ex cap. Ioan. 15. luculenter aduersus Arianos disputans scribit: Vitis

„ nimirum appellatione non ipsam per se Christi
„ Deitatem, sed Deificatam carnem intelligi, cui nos
„ inseri spiritualiter oporteat, vt eius succo viuificati,
„ ceu palmites fructum feramus, ac proinde non ha-
„ bitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur,
„ Christus sit in nobis: verum etiam participatione
„ naturali. Nam quemadmodum, si quis igne lique-
„ factam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita mi-
„ scuerit, vt vnum quiddam ex vtrisque factum
„ videatur: sic communicatione corporis & sangui-
„ nis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non po-
„ terat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis
„ ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi na-
„ turalis vitæ corpus ei coniungeretur. Hæc Cyrillus.

Quem locum quoniam & Transsubstantiatores & Consubstantiatores in suas partes trahunt, & Harchius quoque, pro ipsa carne essentiam verbi substituens deprauat, sciendum est non ipsius naturalis participationis modũ, sed quid participemus, sic declarari, quo etiã pertinet ceræ liquefactæ permixtio. Hoc igitur dictum voluit Cyrillus: ipsummet Christum oportere nostrum fieri, vt, quæ ipsi insunt, ab eo postea accipiamus: & huius nostræ cum ipso coniunctionis vinculum esse naturam, cuius assumptione frater noster primogenitus factus est. At si quis iam quærat, quis sit eius participationis naturalis modus, audiat respondentem Cyrillum, & ex eo discat, non ore fieri, sed mente, & vnica Spir. sancti virtute: vt merè spiritualis sit hic modus

siue

siue Diuinam virtutem veram illius efficientem causam, siue spiritum nostrum fidei quasi manum & instrumentum recipiendo Christo adhibentem, siue huius coniunctionis effectum, spiritualem videlicet vitam spectes: Agnoscite (inquit lib. in Leuit. 7.) figuras esse in Diuinis voluminibus, & ideô « *tanquàm spiritales, & non tãquam carnales exa-* « *minate, & intelligite quæ dicuntur. Si enim qua-* « *si carnales ista suscipitis, ledunt vos non alunt. Est* « *& in Euangelio litera, quæ occidit eum qui non spi-* « *ritualiter ea quæ dicuntur aduerterit. Si enim se-* « *cundum literam sequaris hoc ipsum quod dictum* « *est, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis* « *sanguinem meum, occidit hæc litera. Et Bernardus* « *in Cantica: Quasi verò Christus, quum iam ascen-* « *derit in cælum, tangi aut velit aut possit: & vti-* « *que poterit, sed affectu non manu, voto non oculo,* « *fide non sensibus. Sed de his satis, quum hæc minimè neget Harchius, aduersus quem propriè nunc disputamus.*

Superest, vt quibus instrumentalibus causis ista cum Christo consociatio nostra fiat, & quæ sit illarum vis paulò plenius quàm antea dispiciamus. Quod ad Deum igitur attinet, ordinaria sunt eius instrumenta, pastores ac doctores, & verbum externũ, interdum simplex & nudum, interdum additis symbolis veluti vestitum. Ad nos autẽ quod attinet percipiendis externis illis instrumentis, organa corporis adhibemus, aures nimirum ad au-

diendum ex Pastoribus verbum, oculos præterea, os, & manus, totum denique corpus ad visibilia Sacramenti symbola nobis applicanda: rebus autem ipsis, tum per simplex verbū, tum per adiecta symbola à Deo significatis simul & oblatis percipiendis mente & intelligentia vtimur, quæ si fidei lumine illustrata est, tum sane res illas & intelligit, & sibi applicat, sin minus, aspernatur, & interdum etiam irridet, aut etiam illis offenditur. Et hæc omnia esse vera, ex vniuerso Dei verbo constat, vt Eph. 4. 11, Rom. 10. 8, & 17, Ioan. 6. 63, 1. Pet. 3. 21, 1. Cor. 1. 32, & 2. 16, Rom. 9. 30. & alibi passim. Iam verò, quæ sit illorum instrumentorum efficacia si quæratur, facilè hoc fuerit diiudicare, si qua de re hîc agatur: quæ sit instrumentorum externorum, quibus Deus vtitur, natura: ac denique, quæ sit nostra tum exterior tum interior vis, consideremus. Agimus hîc ergo de re penitus & merè diuina, nempe de nostra cum Deo per Christi carnem spiritualiter nobis communicatam reconciliatione: de noui hominis noua creatione, & veteris abolitione: de imputata iustificatione: de totius hominis ad incorruptibilitatem & cœlestem perpetuam vitam traductione: quarum rerum, si vel vnicam dicamus, ab vlla re creata, tanquam efficiente causa in nobis effici, idololatræ fuerimus. Nam naturalibus quidem effectis Deus naturales causas efficientes indidit, vt qui non tantum crearit animantia, sed etiam addiderit, Crescite & multiplicamini: nec tantum plan-

tas

tas crearit, sed etiam vnamquanque secundum speciem suam seminificare iusserit. Sed in hominis lapsi instauratione, quæ altera est creatio, gloriam suam non magis alteri dederit, quàm quum omnia ex nihilo crearet, & quum sibi, vnico videlicet ordinis rerum creatarum Domino, seruaret integram eius prout ipsi libuit immutandi potestatem. Facit enim mirabilia solus. Hoc igitur opus omniũ θαυμασιωτάτων excellentissimũ, & omnium miraculorum miraculosissimum, nisi vnica vnius ipsius virtute ac potentia inchoari, gubernari, ac tandem perfici fateamur, planè idololatræ sumus. Et quum iam antè ostenderimus ipsum Christum, quanuis non absq; carne, tamen non sua carne, nisi vt sibi proprio instrumento, sed propriè duntaxat sua Deitate miracula in corporibus ægrotantium, & mortuorum edidisse, quis seruorum ausus fuerit sibi plus tribuere, quàm ipse magister habuerit? Sed ne rationibus & consecutionibus ex ratiocinatione humana petitis agere in re tanta videamur, age, ex vno Dei verbo sapiamus, quanquam illæ sanè rationes non aliunde sunt petitæ. Nullum esse arbitror nobilius Dei instrumentum iis in quibus posuit reconciliationis sermonem: & tamen, neque is qui plantat (inquit Paulus) neque is qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, 1. Cor. 3. 7. & alibi, quum se dixisset laborasse, non ego tamen (inquit) sed gratia Dei, quæ mecum est. Itaque in administratione verbi ne tantillum quidem interioris

illius virtutis ministris loquentibus relinquitur: neque hanc quæstionem decidunt qui virtutis illius præcipuas partes Deo, secundas hominibus tribuunt, perinde ac si scripsisset Apostolus, Gratia Dei mecum, vt vulgò Sophistæ in suis scholis hunc locum deprauarunt: vt & illum priorem, EST ALIQVID corrumpunt, addita glossa, SOLVS, VEL ABSQVE GRATIA. Neque tamen propterea nego fideles Pastores & Doctores esse Dei συνεργούς, vt loquitur Paulus, 1. Cor. 3. 9. adeo quidē, vt suo Timotheo scribens, 1. Tim. 4. 16. in hæc verba erumpat, Attende tibi ipsi & doctrinæ: id enim si feceris & teipsum seruabis, & eos qui te audierint. Quæ vt intelligātur quomodo accipienda sint, obseruandum est, in vno & eodem opere nostræ vocationis duplex esse spectandū opus ad illum vnum finem conspirans: vnum quidem exterius, quod per externa instrumenta Deus sic exequitur, vt ipsa quoque agant, quoniam aguntur, quum homines stipites & trunci non sint in Dei manu: alterum interius, à quo tota in solidum prioris actionis externæ efficacitas dependet, & quod sic est Deitatis proprium, Patris videlicet in Filio per Spiritum sanctum, vt istius ne minimam quidem particulam, vel Angelus vel homo sibi possit sine sacrilegio vindicare. Sunt igitur aliquid pastores loquentes per eum & eius nomine qui ipsos misit, sed in externo duntaxat opere. Nec enim aliud possunt, quàm surdis loqui, nisi Deus

ipse

ipse sua vnius vi aures det ad audiẽdum: quæ quidem aurium cordis apertio vnius Dei opus est. Act. 16.14. Fides ergo ex auditu quidem est, id est, interueniente externo operepr ædicationis, & auditionis verbi aures ferientis: & hoc est externum opus, quod Deus per misericordiam per seruos suos missos efficaciter exequitur, sed quòd intelligitur & fide recipitur hoc verbum, hoc est interius opus in quo nullum habet Deus συνεργὸν. Sunt enim omnes (inquit Esaias, citante etiã Ioanne, Es. 54. 13, & Ioan. 6. 45.) θεοδίδακτοι. Neque existimandum est, Paulum sic vocare sese & suos collegas, Cooperatores Dei, vt Phil. 2. 25. Epaphroditum vocat suum συνεργὸν καὶ συστρατιώτην. Erant enim in eodem opere externo eandem operam nauantes sub eodem domino, opere ipsorum vtente. At in eo, quod interius efficit Dominus, & quod est exterioris operis vnicus finis, neq; sibi Paulus, neq; collegis quicquã tribuit. Quòd enim ministerũ ipsius nõ fuerit inutile, in solidum ex Deo esse fatetur, non quòd Deus hanc ipsi gratiam fecerit, vt corda potuerit immutare, siue viuificare, (quod nulli vnquam rei creatæ cõmunicatum fuit, neque communicabitur) sed quoniam per Spiritum suum Deus disposuerit audientium mentes ad intelligenda, & vera fide sibi applicanda, quæ aures corporis ex ore Pauli audiebant. 2. Cor. 3. 6. quomodo etiam loquitur: 1. Cor. 2. 4. Gal. 2. 8. Thes. 3. 5.

Quod si in ipsis hominibus Verbum administrã-

tibus nulla vis interior ineſt, ſed eam totam ſibi Deus integram ſeruarit, ſatis ex eo intelligitur, quid ſit ipſi verbo pronuntiato tribuendum: nempe veriſſimè quidem id eſſe quod dicitur, Verbum vitæ æternæ, Ioan. 6. 63. & 68: & potentia Dei ad ſalutem, Rom. 1. 16: & quouis gladio penetrantius, Heb. 4. 12: & ſemẽ incorruptibile, Luc. 8. 11: at non quatenus vox eſt aures feriẽs, ſed quatenus Deus, id eſt, ſermo ille Dei viui interior mẽti id inſculpit, quod auribus per externum verbum ſignificatur, vt oſtendit Petrus, 1. Pet. 1. 23. Neque quum hæc dico, externum opus, quod Deus per homines administrat, ab interiore, quod vnius Dei eſt in ſolidum, ſeparo cum Enthuſiaſtis & phanaticis, ſed tantùm diſtinguo: vt in eo commendetur ſingularis Dei miſericordia, quòd hominum miniſterium adhibere in hominum ſalute dignetur, quod qui ſpernant illa clementia ſeipſos priuent: & tamen ſua Deitati gloria tota, ſicuti par eſt, ſeruetur.

Superſunt Sacramentales actiones, in quibus quũ præcipuæ partes ſint verbalis promiſſionis, cui ſymbola viſibilia, veluti ſigilla quædam, adiyciuntur, ex ijs quæ modò diximus de exterioris verbi prædicatione ſatis intelligi poteſt, non eſſe aliter de eo ſtatuendum propter ſymbolorum adiunctionem. Ipſis verò ſymbolis aliquid Diuinæ virtutis tribuere abſurdius eſt quàm ſi verbo tribueretur, quum illa ab iſto habeãt, quod ex rebus communibus Sacramenta euaſerint. Nota enim eſt regula

in-

in scholis trita, Propter quod aliquid tale est, idipsum magis tale. Totum igitur istud commentum Magis & Incantatoribus relinquamus, & de his mysteriis idem quod de simplici verbo statuamus: in vna videlicet eadémque actione Baptismi & Cœnæ Domini, Deum aliquid agere per homines, (id videlicet, quòd in mysteriorũ institutione fieri externo ministerio mãdauit) & aliquid solũ & per se interius, quãuis nõ absque illo: id nimirum quod verbi sono & symbolis verbo adiunctis, totôque Sacramentali ritu fuit significatum. Sic enim loquinos docet Moses cordis circuncisionem vni Deo tribuens, Deut. 30.6: vt & Paulus Rom. 2.29. Sit ergo Baptismus lauacrum purgationis per verbum, Ephes. 5.6. & lauacrum regenerationis & renouationis Spir. sancti, Tit. 3. & Act. 22.16. Sed ita, vt externus aquæ Baptismus non quidem separetur, sed authore Ioanne Baptista, (sicut apud quatuor Euangelistas inculcatur & repetitur: Act. 1.5.) ab interiore Baptismo Spiritus sancti, distinguatur, quo se quoque baptizari oportere confessus est Math. 3.14. Et ne quis sophista quippiã hîc garriat de Baptismi Ioannis & Baptismi Christi vtriusque exterioris discrimine, audiatur Petrus salutem tribuens Baptismo, non quo carnis sordes abÿciuntur, sed quo fit, vt bona conscientia Deum interroget, siue, vt alÿ vertunt, Deo respondeat per resurrectionem Christi: 1. Pet. 3. 21. id quod Paulus copiosè explicat. Rom. 6. 3. & 4. & Col. 2. 12. Sed &

pulchrè Tertullianus de resurrectione carnis, Anima (inquit) non lauatione, sed responsione sanctitur: alludens proculdubio ad publicam fidei professionem, quæ ab adultis baptizandis requirebatur, vt disertè scribit Lucas Act. 8. 37. quod ridiculè posteà & imperitè à baptizandis infantib. requiri cœpit. Nec aliter esse nobis de Cœna Domini sentiendum, partim communis Sacramentorum ratio demonstrat, partim etiam illud ostendit, quòd non omnes eandem escam sumentes, nempe exteriorem ab hominibus administratam, & hactenus spiritualem (Sacramentum enim est, non res communis) nolit tamen Apostolus ad vitam sumere, sed quosdam etiam ad damnationem: 1. Cor. 10. 3. & 5. & 11. 27.

Et de his quidem hactenus, ex quibus fore spero vt omnibus veræ pietatis sine præiudicio studiosis pateat, quàm vana ista sint Harchij commenta de substantia Trinitatis reipsa in panem illapsa, & alijs inde consequentibus portentis, ac proinde quàm falsæ sint calumniæ, quibus homo iste nos onerat, quasi inter Sacramenta & res communes nullum discrimen constituamus, mutationem Sacramentalem ignoremus, aut tradere in catechismis nostris negligamus: adeò quidem impudenter, vt Oecolampadium & Martyrem, beatæ memoriæ fideles Dei seruos, in partes suas audeat pertrahere: Zvvinglium autem illum verè hominem Dei, partim inscitiæ, partim etiam per ludibrium dissimula-

mulationis accuſet, quaſi diſcipulorum habuerit rationem, qui non fuerint ſolidæ Theologiæ adhuc ſatis capaces: Quinimo me quoque Bezam, poſtquam eſt mihi aſſentatus multò honorificentiore, quàm merear, eruditionis teſtimonio, ſibi penè & alijs perſuadet à potentiali & actuali cōmentitio Chriſti corpore non valde diſſentire. Quibus calumnijs omnibus hoc ſit ſemel reſponſum, datam eſſe hanc gratiam magnis illis ſeruis Dei, quorum opera pro Papiſmo verus Chriſtianiſmus in Helueticis primùm, Rheticis, & Sabaudicis Eccleſiis obtinuerit, ac ſit deinceps longè & latè in orbe terrarū propagatus: vt neque de Cœna Domini, neq; de vllo fidei Chriſtianæ articulo aliud fuerit prædicatum, quàm quod & priore & poſteriore Heluetica confeſione continetur: quorum veſtigijs ſic inſtitiſſe, & deinceps perrecturos illorum ſucceſſores cōfido, in quibus & ipſe, Deo ſic volente, nomē meū profiteor, vt à Dei veritate, quam illi ad extremum vſque halitum & voce & ſcriptis perſpicuè, & ſine vlla diſſimulatione teſtati ſunt, ne latum quidem vnguem diſcedamus.

Ad hæc autem errorum monſtra de quibus diximus, libet etiam alia duo adiungere, vt ſi quos ille in errrorem abduxit, tempeſtiuè in viam redeant. Harchius igitur poſtquam de eſſentia diuina in panem percolatione, & alijs eiuſmodi nugis, veluti potentiali Chriſti corpore, & noſtra in Chriſtum tranſitione, quaſi ſupra cœlos omnes tranſue-

ctus disputauit, tandem audiamus, quem tandem fructum nos velit ex hoc mysterio elicere, vbi Christum ipsum loquentem inducit, (pagina poste-
„*rioris libri sui 271.) HOC FACITE, inquit*
„*Christus, id est, offerte Deo Patri: & deinceps, CO-*
„*MEDITE, id est, donum, quod est in hoc visibili*
„*pane, (symbolo huius mei corporis cras pro vobis*
„*crucifigendi) cum dilectione & fide suscipite, vt*
„*hinc meo exemplo discatis offerre vestra corpora, &*
„*exponere vitam ad Dei gloriam & proximi defen-*
„*sionem, si opus est, tum & bona omnia, quæ accipitis*
„*à Deo, pari assuescatis liberalitate alijs egentibus*
„*distribuere, & simili charitate in alios effundere.*
Hæc verò, si sic se habent, quid aliud fuerit Cœna Domini, quàm quædam, quantacunque illa sit, ad colendam fraternam charitatem incitatio? Neque verò nos inficiamur longè præstantissimum hoc esse diuinæ in nos misserrimos peccatores charitatis pignus, quo mutuæ nostræ dilectionis admoneamur: sed absit, vt vel præcipuum hunc finem Cœnæ esse existimemus, vel hæc sacra mysteria pro imitationis exemplo & mystica tantùm quadam commonefactione habeamus. Sunt enim lõgè alia beneficia noui fœderis, quod istis tesseris nobiscum sancitur. Primus igitur & primarius huius sacræ actionis finis est, nostræ cum Christo consociationis, per ipsius carnem spiritualiter, adhibitis illis symbolis, interueniente fide, nobis verè communicatam, & animi nostri quasi intimis visceribus insculptam

diuina

diuina ſolennis confirmatio : alter verò, omnium donorum, quæ in ipſius carne inſunt, nobiſcum participanda, tum per imputationem, tum per realem intra nos efficacitatem magis ac magis ſancita adeptio. Sunt enim hæc myſteria, vt ex Inſtitutionis & Apoſtoli verbis apparet, noui Teſtamenti teſſera in remiſſionem peccatorum : præcipuum videlicet noſtræ cum Chriſto reconciliationis beneficium, & quod cæteris præire oporteat.

Sed illud quoque mirari ſubit, quînam tandem Harchius, poſtquam nulla vini facta mentione, vſque adeò panem illum Deificauit, in vino tamen illo neſcio quid amplius, quàm in pane, id eſt, in ſanguine Chriſti amplius aliquid quàm in eius corpore conſtituat : adeò quidem, vt, ſi tempore excluderis (inquit pagina editionis prioris 116.) bibendum ſit de calice, & non comedendum de pane, ſicut ſi quis in animi deliquium inciderit, quòd manducatio longius exquirat tempus quàm potatio, in os potius iniecerit vinum, quàm carnes, quoniam illud citiùs repente delapſas inſtaurat vires. Enimuerò, an non hæc potius ebrioſum quàm Chriſtianum hominem decent? Quaſi verò non manifeſtè Chriſtus duplex ſignum in Cœna Domini inſtituens, vnum cibi, alterum potus, ſic demonſtrarit totam noſtram alimoniam ſpiritualem in vno Chriſto ſitam eſſe, & quidem mortuo pro nobis: quod etiam eo adumbratum eſt, quòd ſeorſim vinũ, ſeorſim panis diſtribuitur, vt ſanguis à corpore

nostri causa separatus fuisse, sic quoque significetur. Citat tamē prose Harchius duos testes, Ambrosium videlicet, & Originem, sed quorum neutri in mentem venit, vt calicem absque pane ritè sumi posse doceret, quum longè certè sit absurdius sobrijs omnibus ieiunis bibere absque cibo, quàm cibum sumere absque potu. Sed quid ait Ambrosius?

„ *1. Cor. 11. Caro Seruatoris, p salute corporis: sanguis,*
„ *pro anima effusus est. Hæc verba, fateor, in Commentarijs Ambrosio adscriptis leguntur, eò quoque hæc verba Mosis detorquenti, Leuit 17. 17. Anima carnis est in sanguine, & ego dedi eum vobis super altare, ad expiandum animas vestras, quia sanguis ipse animam expiabit. Sed quis Ambrosio concedet, quod inde colligit? nempe pro solo corpore oblatam fuisse victimæ carnem, vt hoc postea ad Christi corpus pertrahatur. Non excludit ergo Moses ab expiatione animæ, carnes oblatæ victimæ sed propterea quòd animalis vita in sanguine est, voluit offerentes non ipsam materiam carnis victimæ, sed victimæ mortem in effusione sanguinis spectare: quemadmodum Christi carnem, vt sit nobis seruatrix, non debemus simpliciter in sese, sicut ea præditus fuit Christus, sed vt crucifixam & mortuam pro nobis considerare & participare: quamobrem etiam sæpissimè, vbi de nostra per Christum reconciliatione agitur, peculiaris fit eius sanguinis mentio: sed ita vt corpus minimè excludatur. Nam de toto Christo dixit Ioānes, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata*

peccata mundi,& Apostolus Col.1.22,de totis nobis credentibus loquens, Reconciliauit nos (inquit) in corpore carnis suæ per mortem: & Heb.10.10, qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam: & Petrus 1.Pet.2.24, Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum,&c. Absit igitur,vt in redemptionis nostræ mysterio allegoriam illam Ambrosianam,aut cuiusquā alterius sequamur, quod tamē tanti viri pace sit dictum. Quid autem Origenes ille allegoriarum magister tum certè somnians, quum attentissimè videtur vigilare? Cur (inquit Homilia 35. in Matth.) nō dixit Dominus, HIC EST PANIS NOVI TESTAMENTI, sicut dixit, HIC EST CALIX NOVI TESTAMENTI? quia panis est verbū iustitiæ,qua māducātes animæ nutriuntur, potus autem siue calix,est verbū agnitionis Christi secundum mysterium natiuitatis & passionis,&c. Pudet enim me istiusmodi delirijs chartas implere. Quorsum enim nobis allegoricam sacramentorum transformationem, & quidem vsque adeò insulsam? Si quis tamen illius quæstionis explicationem desideret, sic potius rem accipiat. Sancitū quidem fuit fœdus nouum totius Christi oblatione, sed quia mors interuenerat, cuidentior fuit in effuso sanguine, quàm in ipsa carnis materia. Propterea sub vetere fœdere Moses dixit, Ecce sanguis fœderis,quod pepigit Dominus vobiscum: ac proinde Christum quoque vt veritatis ad

typum relatio fieret expreßior, noui fœderis appellationem ſanguini ſuo potius, quàm corpori applicaſſet, ſic tamen vt corpus cuius ſanguis fuit effuſus, nequaquam excluſerit ab animæ in primis redemptione. Addo & aliam rationem, quòd quum Chriſtus bibendi vini, quod ſanguinem ſuum appellat, mentionem feciſſet, neceſſe fuit illum noui fœderis meminiſſe, quoniam ſub vetere ſanguinis vſus diſertè prohibebatur, quod in altero panis ſymbolo exprimere neceſſarium non fuit.

Expectabit autem fortaſſe lector hoc loco, vt ſingulis Patrum teſtimoniis reſpondeam, quorum multitudine putauit Harchius ſuum illud cōmentum aperte confirmari, illis certè non diſſimilis, quibus, ſi ſpecillis viridibus vtantur, viridia omnia apparent. Et mihi quidem propoſitum hoc erat, quum hanc ſcriptionem aggrederer, ſingulos videlicet Patrum locos ab Harchio citatos, oſtendere partim mala fide deſcriptos, partim perperam applicatos & malè ab ipſo explicatos eſſe, partim etiam ipſius ſententiam manifeſtè refellere. Sed tardius poſteriorem ipſius libri editionem nactus, in qua ordine paulò meliore ſuum dogma proponit: & temporis ſpacio excluſus, quanto mihi ad priora retexenda fuiſſet opus: cogor accuratiorem hac in parte refutationem aliquantulum differre. Tantum interim hoc dico, quemadmodum Tranſſubſtantiatores & Conſubſtantiatores videmus ignoratione, vel diſſimulatione Sacramentalis tropi, quo fit, vt rei ſigni-

significatæ nomen ad signa transferatur, detortis Patrum testimonijs, sese magis ac magis dementare: sic etiam Harchium, quæcunque Patres de vi & efficacitate spirituali sacrorum mysteriorum differentes proferunt, ad suum illud commentum substantiæ diuinæ reipsa in panem illapsæ pertrahere: quod tamen, haud scio an cuiquam vnquam, præter hunc vnum Harchium, in mentem venerit, vt vel somniando cogitaret, nedum vt fuerit vnquam hoc absurdissimum & falsissimum dogma in Ecclesia Christiana receptum. Nec illud etiam hominibus in veterum tum Græcorum tum Latinorum lectione versatis ignotum esse potest, illos nonnunquam suis allegoriis fuisse plus æquo delectatos, & hyperbolicè cum de sacramentali trãsmutatione, tum de sacramẽtorũ fructu (rebus illo seculo cuiuis ex Ecclesia notis ac perspectis) nõnunquam fuisse loquutos: quibus tamen hyperbolis Transsubstantiationis & Consubstantiationis somnium in Ecclesiam insciitia vel negligentia Pastorum inuectum debemus. Sed aliâs hac de re plura, si Dominus dederit.

Nunc verò superest, vt, quid in Cœnæ Domini administratione idem Harchius requirat, dispiciamus. Primùm omnium igitur cum cultum, quem modò adorationem, modò venerationem vocat, in Eucharistiæ celebratione vult vsurpari, quæ tamen non ad ipsa symbola, (quod in Papistis meritò reprehendit: qui tamen sese non panem neque vinum,

sed ipsummet Christum Deum & hominem reipsa adorare respondent) sed ad totius Trinitatis essentiam in panem delapsam, & à carnis naturalis Christi in cœlo nunc sitæ minimè separatam referatur. Ego verò primùm quæro de qua adoratione, seu veneratione loquatur, interiore videlicet, an exteriore, an de vtraque coniunctim. Nam quod ad interiorem attinet, quis vnquam ita fuit impudens, qui mentalem adorationem, atque adeò totius cordis ad Deum conuersionem, in illa tam solẽni Christi mortis celebratione necessariò adhibẽdam negaret? Absit igitur, vt illa sit in mysteriorũ celebratione in nostris Ecclesiis sublata, quam potiùs, quum esset infinitis modis in papatu contaminata, ad veram puritatem reuocauimus. Quod ad exteriorem autem corporis gestum attinet, fatemur quidem à nobis sublatas tum histrionicas illas gesticulationes ridiculas potiùs, quàm religiosas, tum illa, quamuis per se non damnanda, tamen hypocritis in publico quidem cœtu, quàm veris Christianis in simplicitate Deum inuocãtibus conuenientiora, veluti totius corporis prostrationem, terræ deosculationem, alta suspiria, pectoris percussiones, & similia nimirùm multa: quæ fortasse domi & priuatim, solo Deo teste & conscio, possint vt veræ resipiscentiæ signa vsurpari. Honesta autem illa, & communi populorum consensu apud Europæos adhiberi consueta, vt capitis apertionem ac demissionem, genu flexionem, & si quid est eiusmodi

modi non modò in mysteriorum celebratione, sed etiam in quotidiana verbi prædicatione, & sacrorum psalmorum cantione, concionem sic & inchoantes & finientes, studiosè, & quanta cum reuerentia fieri potest, obseruamus. Sed hoc nimirum Harchium & alios nonnullos malè habet, quòd in nostris Ecclesiis stantes, nec positis ad terram genibus, alicubi etiam sedentes, & rursum alicubi, vt in Anglia, ad mensam discumbentes symbola ex pastorum & diaconorum manu accipiamus. Imò etiã non desunt qui pastores vellent in illis, si non origine, at certè vsu, verè Baaliticis vestibus apparêre. Scilicet quum ipse adstans ad mensam Dominus verè adorandus quâ Deus, & quâ Deus & homo simul, cœnam instituebat, surrexerunt singuli discipuli vt in genua procumbentes panem illum & vinum illud ex ipsius manu acciperent: & ignorabant scilicet ipsi Apostoli quo ritu deinceps celebranda mysteria Ecclesiis traderent. Agapas quidem certè constat vix ac ne vix quidem genuflexionem admisisse. Iustinus in Apologetico nullã facit istarum rerum mentionem. In libello διαταγῶν Clementi adscripto, cuius liturgiæ ritum fatetur Harchius proximè ad Caluinianorum, quos isti vocant, formulam accedere, nulla προσκωνήσεως in ipsa sumptione, ne tenuissima quidem mentio, sed accedere post Episcopum, presbyteros, diaconos, & populus reliquus iubetur μετὰ αἰδοῦς καὶ ἐυλαβείας ἄνευ θορύβου, id est, cum pudibunda

quadam reuerentia, sine tumultu accedere. Postea nullus fuit externis ritibus adhibitus modus, honorandorum mysteriorum obtentu: Eucharistia, domum deportari, seruari, collo pro viatico appendi cœpit: contrà verò tandem piaculum fuit illam vel manu laicis, quos vocant, attingere. Quid plura? tandem nostræ, cum Deo consociationis pignus Satan in βδέλυγμα, quo nunquam vllum execrabilius neque extitit, nec posthac poterit excogitari, apertè tātáque cum erroris efficacia conuertit, vt symbolorum illorum (si modo symbola esse possint, in quorum præparatione Institutio Domini tam horrendis modis contaminatur) adoratio pro summa totius Christianæ religionis habeatur. Hæc causa est cur non modo ἀρτολατρείαν ipsam, sed eius quoque initia radicitus euellere studuimus: seruata religiosa tum animi tum corporis adoratione, quæ vni Deo tota debetur: tum etiam grauitate & reuerentia quæ in publico cœtu sanctorum requiritur, diligenter custodita. Quod si qui vel infirmitate suorum coacti, vel alias ob causas aliquid amplius ex vetustis illis ritibus sibi retinendum putent, sua cuique maneat libertas. Sed quis ferat Harchium eos reprehendentem, qui panem aliquo modo putēt adorabilem, quòd Iesus Dei filius verè & realiter ibi adsit cum mera sua carne, & mero suo sanguine: quum tamen ipse longè firmiùs statuat adorationis fundamentum, realem videlicet & ineffabilem ipsiusmet essentialis Deitatis cum

pane

pane vnitionẽ ac permixtionẽ? Ex quo dogmate apparet, illum non multo aliter certè nunc in pane Christũ adorãdũ cẽsere, quàm quum olim in præsenti carne in terris versaretur. Id autẽ si ita esset, immemor profectò corum reperietur, quæ ipsemet
pag. 189. ex Nicæno consilio primo citauit, ista vi-
delicet, Ne hæreamus humiliter intenti ad panẽ &
vinum, quæ posita sunt super altare, sed vt fide sur-
sum eleuemus corda. Nam, obsecro, si deorsum, id est in terris & in ipso pane realiter & essentialiter vnita & permixta est Deitas quæ vna propriè adoranda est, cur non ego mentis oculos ad ipsum panem conuerterim, vt in præsentem ipsius carnem, si adhuc in terris versaretur? num quia caro in cœlis nunc est, non in terris? Atqui hæc ratio nullius est momenti. Nec enim propter carnem ipsius Christi adoratur ipsius Deitas, sed Deitas non absque ipsius carne adoratur, ne dissoluatur personæ vnitas. Et de adoratione quidem hactenus, quam certè sic ponit, vt tollat Harchius.

Superest nunc alia grauissima tum nostri tum Lutheranorum, quos vocat, accusatio, quòd nimirum visibile Christi sacrificium in imagine, siue iugem oblationem sanctæ Eucharistiæ in Ecclesiis nostris aboleuerimus, id est, scelus omnium maximum admittamus. Triplex autem esse vult Harchius hoc sacrificium, quantum quidem ex capitibus ipsius libri 21. 22. 23. & 24. coniicere potui, licèt tam obscurè & tam perplexè scriptis, vt fortasse

ne nunc quidem ipsius sententiam satis capiam: sed in summa hoc mihi videtur sentire, triplicem oblationem in mysteriorum celebratione semper fuisse à Deo requisitam & in Ecclesia Christiana obseruatam: vnam merè spiritualem, qua sese vnusquisque corde contrito & fide prædito coram Deo sistit, quam oblationem vnicam à nobis obseruari dicit Harchius: alteram visibilem, afferente vnoquoque quidpiam ne coram Deo appareret vacuus: tertiam ipsius corporis & sanguinis Domini, quam vtramque concludit Harchius à nobis quidem sublatam, à papistis verò penitùs adulteratam. Ego Papistas minimè defendero, sicut etiam meum patrocinium minimè desiderant. Quod ad nos autẽ attinet, neutram, si rectè intelligatur, à nobis abrogatam, sed potiùs vtramque ad verum vsum reuocatam esse affirmo. Nam vt de priuatorum oblationibus priore loco dicam: liquet, tum ex Actis, tum ex Epistolis Apostolicis, itémque Iustini & Tertulliani apologetico, & varijs antiquorum Synodorum canonibus quos hoc loco repetere nolui, collatas fuisse eleemosynas, ex quibus, tum communes epulæ, quas Agapas vocabant, instruebantur, tum ministris verbi, tum paperibus, & alijs Ecclesiæ necessarijs vsibus subueniebatur. Hæc autem sic collecta in communi cœtu, commoda ratione, puta vel in mẽsa, vel abaco ad id constructo, qui Θυσιαστήριον *in Canonibus, quos Apostolicos vocant, Canone 2. vocatur, primum imponi consueuerant,*

ſueuerant & ſolenni prece adhibita Deo, id eſt, piis vſibus conſecrari, ſepoſitis in primis pane & vino, quibus ſeorſim ad ſacramentalem vſum benedicebatur, recitata & explicata Domini inſtitutione, qua de re diſtinctè mox agemus. Illas igitur oblationes diſtinctum aliquid fuiſſe à ſacris myſterijs conſtat: quod etiámnum hodie liquet ex Romanæ Miſſæ particula, quam Offertorium vocant: item ex illis precibus, quibus hæc dona & munera (magno quidem cum Eccleſiæ Chriſtianæ ludibrio) adhuc hodie ſacrificuli Romani petunt à Deo benedici. Sublatis autem iampridem Agapis, & ita paulatim conſtitutis in Eccleſia Chriſtiana rebus, vt non de quærendis nouis facultatibus laborandum videatur quibus Eccleſiaſtici alantur, ſed potiùs curandum, vt opes, quibus redundant, pijs vſibus impendantur: quorſum, obſecro, oblationes iſtiuſmodi in noſtris Eccleſiis retinuiſſemus? Itaque pleriſque locis, vbi nimirum Chriſtiani magiſtratus imperant, cautum eſt, qua ratione tum miniſtris verbi iuſta ſtipendia perſoluantur, tum cuiuſque loci pauperibus conſulatur: tum ſcholis inſtituendis & pauperibus alendis ſcholaſticis & tuẽdis Eccleſiarum ædificiis proſpiciatur. Nec propterea priuatarum eleemoſynarum collectio, ſiue quũ dimittitur publicus cœtus, ſiue domatim collecta ſtipe, negligitur. In ijs autem locis, in quibus Romani quidem ventres ſuis adhuc ſacrilegiis ſeſe ingurgitant, pauperculi verò ple-

rique greges cum ſuis paſtoribus eſuriunt, ibi quoque, qua ratione fieri poteſt, inſtitutis diaconis, eleemoſynæ conferuntur. Rem igitur ipſam retinuimus aut inſtaurauimus potiùs: formam autem illam veterem oblationum operoſam, moleſtam, nulla certè lege in verbo Dei præſcriptam, tam variè apud veteres, vt ex ſynodorum canonibus & Patrum ſcriptis apparet adminiſtratam, denique vt ambitioſam potiùs, quàm religioſam abrogauimus. Quid autem Harchius? Vult omnino fuiſſe myſtici conuiuij, quod Sacrificium appellat, alteram partem: & veluti priorum omnium oblitus, ac in primis eius quod toties repetijt, non de iſtis oblationibus, ſed de eo pane & vino, quod per ſolos, vt loquitur, ſacerdotes offertur: cum videlicet primum quidem per ſacram benedictionem fieri potentiale, ac deinceps comeſum actuale Chriſti corpus myſticum, ijs nimirum, à quibus ſumptus, comeſus, ac tandem concoctus eſt, in vnum Chriſti corpus tranſeuntibus: eius (iuquam) rei oblitus, vult viſibiles etiam iſtas priuatorum oblationes fide vniuſcuiuſque offerentis duplicem habuiſſe ſiue figuræ, ſiue Sacramenti rationem. Primùm enim fuiſſe ſymbolum eorum bonorum vel temporalium vel ſpiritualium, quæ ſibi quiſque aut alijs dari vel conſeruari vel etiam augeri poſtulabant, vel de quib. ſibi cõceſſis gratias agebãt. Deinde vult etiã Harchius tranſmutatas eas fuiſſe in Chriſti corpus myſticum. Nam hæc ſunt eius verba,

pag.

pag. 257. Offerebat populus (& certè ad talem o- »
blationis vſum reuocari debet) viſibile quidpiam »
ad altare, denotans inuiſibile, quod vel manduca- »
bat, vel pro quo gratias agebat : quin & eadem »
hoſtia, & idem ſimplex panis oblatus ſanctificaba- »
iur ab illorum fide & Spiritu Dei, qui in illis ha- »
bitabat, & in Sacramentum ſiue antitypon & Eu- »
charistiam corporis Domini tranſmutabatur ab i- »
pſis. Et altera pagina, Panis quem offert populus »
fidelis, exiſtens ſanctificatus à propria fide & Spi- »
ritu Dei, quẽ quiſque poſsidet proportione fidei & »
charitatis ſuæ, à figura carnis cõmunis, trãſibat in »
figuram ſiue antitypon corporis Chriſti, ſed myſtici. »
Hæc ille, quæ ſi quis roget, quo fundamento nitan-
tur, cetrè vel nouam aliquam nobis Cœnæ inſtitu-
tionem proferat à Domino traditam oportet : aut
illam, quam tres Euangeliſtæ traduut, & ex Euan
geliſtis Paulus repetit, huc quoque pertinere nobis
demonſtret : aut denique demiſſum ſe cœlitus o-
ſtendat, qui noua nobis myſteria cuderet. Iſta i-
gitur ne refutatione quidem indigent, nec ſunt e-
tiam in alium finem à me prolata, quàm vt hinc
ſaltem, cuius ſpiritus iſte magiſter fuerit, omnes
intelligant, nam quum ne Patrum quidem teſti-
monium vllum Harchius ad hoc delirium proban-
dum protulerit. Fuerint ſanè tamen oblationes iſtæ
rerum viſibilium ſacrificij ſpecies : ſed quales ſunt
nominis Dei inuocatio, & eleemoſynæ iuuandis
fratribus collatæ : quam ſacrificandi rationem tan-

tùm abest, vt in sacrorum mysteriorum celebratione sustulerimus, vt in quotidianis etiam cœtibus hoc in primis vrgeamus.

Restat præcipuum istius accusationis caput, sublatum videlicet à nobis iuge illud sacrificium in Melchisedeco adumbratum, à Malachia propheta prædictum, & quo sublato nulla in terris superfit Ecclesia. Saltem verò iste tam rancidas nobis accusationes reponens, refutationes nostras refelleret. Nobis verò semper ne ad rauim vsque inculcandum erit, quod & ipse textus demonstrat, nullam in Melchisedeci historia fieri sacrificij mentionem, quantumuis sibi veteres in istis Panis & Vini nominibus placuerint? Et quoties nobis illud iteradum erit, Malachiam de numinis cultu in Spiritu & veritate noui fœderis, abrogato vetere & ad gentes translato, formulis dicendi, ex vetere cultu, ceu Prophetæ solent, desumptis differentem, non Sacramenta nomine suffitus & oblationis mundæ, sed sacrificium illud declarare, quod Apostolus cùpiosè Rom. 12. 1. declarat? Nec enim Sacramenta populi sunt offerentis, sed à Deo data recipientis: adeò quidem, vt nihil esse possit ijs hominibus ineptius, qui Sacramentum cum sacrificio confundunt. Neque tamen inficior Cœnam Domini aliquam etiam habere nostri respectu sacrificij rationem, & propterea iam olim Eucharistiã appellatam. Verùm id fieri nego propter præcipuum ipsius finem, nempe vt nostra cum Christo con-

corpo-

corporatio ſanciatur, quum vniuerſam noſtram vitam oporteat veluti perpetuum eſſe Euchariſticum ſacrificium, & in quotidianis in Eccleſia cœtibus ſolennis gratiarum actio de omnibus in Chriſto collatis nobis beneficiis, etiam extrà Cœnæ Domini celebrationem, à nobis requiratur. Nihilominus tamẽ quia peculiaris quædã mortis Domini annũtiatio in Cœna Domini præcipitur, ſit ſanè ac dicatur quod ad nos attinet, Euchariſticũ ſacrificium. Id verò an nos ſuſtulerimus, ac non potiùs, meritò ſublatis ex veteri Canone quamplurimis, inſtauraverimus, age ex noſtrarum liturgiarum formulis (& ſi non per omnia in ipſis verbis, at certè in doctrinæ ſubſtantia penitus conſentientibus) iudicetur. Audiamus tamen, quid hîc amplius à nobis ex patribus requirat. Iuſſit nos (inquit) Chriſtus facere quod fecit. Concedo: quamobrem etiam humanos omnes illos ritus in noſtra liturgia aboleuimus. Sed Facere (inquit) eo loco idem eſt atque Sacrificare. Imò idem eſt atque panem accipere, benedicere, frangere, comedendum præbere, itidémque poculum, præeunte benedictione, bibendum tradere, quod ad miniſtros attinet: ſumentium autem reſpectu, accipere, comedere, bibere, mortem Domini annuntiare. Itaque etiamſi Harchio concederem Facere idem eſſe eo loco atque Sacrificare, tamen quum totidem illa conſtet à nobis diligenter fieri, calumniator in eo deprehenderetur, quod ſacrificium à nobis ſublatum eſſe dicat.

Quum autem negari non posſit, ſacrificium eſſe vni Deo offerendum, quinam obſecro dicentur miniſtri ſacrificare, quum panem & vinum non Deo ſed populo accipiendum præbent? Et rurſum populus ipſe panem & vinum accipiens, comedens, & bibens, id eſt, non offerens, ſed oblatum ſibi accipiens, quomodo ſacrificare dicetur? Et tamen fatendum eſt, quum hæc fiunt, vel fieri quæ Chriſtus fecit & facienda præcepit, vel (quod abſit) non eſſe hæc facienda, ſed omittenda, quum id demum in Cœna faciendum ſit quod Chriſtus fecit. Ex quo efficitur Facere non rectè explicari per Sacrificare, quum Totum non rectè per ipſius Partem definiatur. Res autem ita ſe habet. Patres Cœnam Domini ſacrificium vocarunt triplici reſpectu: vno, propter ſymbolorum benedictionem: altero, propter ſacrificij, quod ſemel à Chriſto in cruce peractum eſt, cõmemorationem, & quandam ſub imagine Sacramentorum repreſentationem: tertio, propter ſolennem fidei profeſſionem, preces, ac præſertim gratiarum actionem peculiarem: quæ omnia recordationis nomine à Chriſto, & annuntiationis mortis Domini ab Apoſtolo ſignificantur. Nam verum etiam ſacrificium eſt, vt rectè ſcribit Auguſtinus,

" *de Ciuit. lib. 10. cap. 6. Omne opus quod agitur, vt*
" *ſancta ſocietate inhæreamus Deo. Totam verò ſui*
temporis liturgiam ſic deſcribit idem Auguſtinus
" *Epiſt. 59. quæſt. 5. Precationes accipimus dictas,*
" *quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam*

tequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat»
benedici: Orationes, quum benedicitur & sanctifi-»
catur, & ad distribuendm comminuitur, quam to-»
tam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica ora-»
tione concludit: ad quem intellectum verbi Græci»
origo nempe προσευχῆς nos adiuuat. Sic enim pro-»
prie intelligenda est oratio, quam facimus ad vo-»
tum, id est, περὶ εὐχήν. Vouentur autem omnia»
quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio,»
quo sacramento prædicatur votum illud maximũ,»
quo nos vouimus in Christo esse mansuros, vtique»
in compage corporis Christi: cuius rei Sacramentũ»
est, quòd vnus panis vnum corpus multi sumus.»
Interpellationes autem, siue postulationes fiunt»
quum populus benedicitur. Tunc enim antistites»
velut aduocati susceptos suos per manus impositio-»
nem misericordissimæ offerunt potestati: quibus»
peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarũ»
actio cuncta concludit. Hæc ille. Ex quibus quo
sensu veteres Cœnam Domini sacrificium voca-
rint, apertissimè liquet. Ostendat autem Harchius,
ecquid tandem istorum in nostris Ecclesiis prætermittatur: & tunc à nobis visibile sacrificium abolitum esse clamitet. Nempe hoc illum malè habet,
quod ἐνδείξιν, id est, abominandæ illius ἀφ[illegible]λατρείας causam vnam ex præcipuis sustulerimus:
cuius tamen neque Clemens ille, quisquis est, in
Constitutionibus Apostolicis quas vocat, neque
Iustinus, neque Tertullianus meminerunt: & quæ

Christum autorem habere certè non potest. Sit igitur vetustus hic ritus, cuius etiam meminit Basilius ad Amphilochium, si modo illa omnia Basilij sunt: fuerit etiam hoc non inutiliter illis temporibus vsurpatum, siue quum ex priuatorum oblationibus panem & vinum seposuerant in peculiarem Sacramentorum vsum, siue quum peracta benedictione populum ad participationem præparabant. Quũ tamen neque hic ritus sit nobis à Deo, neque ab Apostolis præscriptus, neque in illa vetustissima purissimáque Ecclesia, vt apparet, obseruatus, & ei iam pridem idolomaniæ occasionem præbuerit, quæ, permanente illa ἐνδείξει vix ac ne vix quidem tolli ex hominum animis possit, non modò nos, quum illam abrogaremus rectissimè fecisse, verùm etiam eos à quibus retinetur, neque sibi neque suis gregibus benè consulere arbitramur: quẽadmodum etiam in eo, quòd, sublata panis fractione (quæ nunquam in Oriente fuit abrogata, &, vt ex præcedentibus apparet, Augustini tempore apud Afros obseruabatur, Sacramentalis nimirum ritus à Christo ipso institutus) offulas integras & quidem ori non manibus contrà totius veteris purioris Ecclesiæ morem, inserunt, adhuc Papissare sese & horrendæ superstitionis fomitem fouere, nescio qua tandem ratione inficiari possint. Quid igitur? nempe etiam absque ἐνδείξει salua manet oblatio sacrificij incruenti, id est, sacramẽtaliter peracti, siue benedictionem ipsam symbolorum, id est, Insti-

Institutionis Domini recitationem & explicationem cum præeuntibus & subsequentibus à tota Ecclesia conceptis, pastore præeunte precibus coniũctã spectes, quibus ipsa quodammodo filij passio, vt loquitur Cyprianus, Deo Patri offertur, & tota Ecclesia Christi mortem annuntians, sese quodammodo Deo sacrificat: siue fidei Christianæ solennem professionem: siue denique gratiarum actionem & eleemosynarũ collationem Oblationis & Sacrificij nomine accipias.

Neque de alia oblatione loquutos esse Patres, ex ipsis ab Harchio prolatis testimonijs omnibus apparet: qui tamen, quoties scribunt Christum sese Patri, quum sacram Cœnam institueret, obtulisse, impropriè loquuti sunt: quum Christus sese pro peccatis nostris non bis, vno videlicet modo incruentè, altero verò cruentè, sed semel duntaxat, & quidem in ara crucis in remissionem peccatorum nostrorum obtulerit: nihil etiam nobis oblatione illa incruenta ad id profutura, quum teste Apostolo, absque sanguine non sit peccatorum remissio. Ex quo efficitur Christum sese non obtulisse Patri in Cœna, nisi vniuersam eius vitam per oblationem intelligas, sed oblationis mox sequuturæ Sacramentalem commemorationem, & nostræ cum ipso Spiritualis coadunationis mysterium Sacramentaliter representandum ac Spiritualiter per fidem sanciẽdum instituisse.

Quòd autem postremo loco Harchius addit, er-

rare nimirum grauiter tum Lutheranos tum Caluinistas, quos appellat, qui Christum dicant certũ ordinem sacerdotij non ordinasse à populari distinctum, & vllam peculiarem dari potestatem per manuum impositionem eis ad Eucharistiam Deo Patri offerendam negent. Hoc (inquam) putidissimum impudentissimi hominis est mẽdacium. Quis enim hominum hoc ignorare potest tantum nos ab eo abesse vt pastores, doctores, presbyteros, diaconos cum magistratu vel cum plebe confundamus, & cuiuis aut Euangelij in cœtu prædicandi aut preces publicas concipiendi, aut Baptismum, Cœnámve Domini administrandi, aut eleemosynas receipiendi & distribuendi, aut Ecclesiastica iudicia exercendi potestatẽ faciamus, vt contra & Ecclesiasticas omnes tum electiones, tũ ordinationes ad Apostolicam normam & regulam Dei beneficio reuocauerimus, & quàm seuerissimè (nisi sicubi priuatim peccatur) obseruemus? Etenim neque vitæ neque morum exactum examen: neque doctrinæ & donorum ad functiones Ecclesiasticas obeundas necessariorum diligens exploratio: neque magistratus, vbi Christianus est, authoritas: neque plebis voluntarius consensus, neque accurata cautio negligitur, ne quis ambitioni vel gratiæ vel προσωπολημψίᾳ vel δωροδοκίᾳ locus relinquatur. Quod ad ordinationem autem attinet, humanos quidem illos omnes ritus tam operosos, quàm inutiles, & maxima iam ex parte in superstitionẽ

mani-

manifestam versos, imò etiam aliquatenus impietate contaminatos sustulimus: sed Apostolicæ veræ ordinationis substantiam restituimus. Etsi enim nonnullis locis ceremonia impositionis manuum non obseruatur, tamen res ipsa diligenter custoditur, pastoribus legitimè electis & tandem ordinandis coram populo detecto capite astantibus, & cum graui commonefactione solennibus precibus Deo Opt. Max. cuius operarij futuri sint, commendatis. Quod autem Harchius impositionem manuū mysticæ benedictionis nomine dignatur, tum illi in eo assentiemur, quum vel tale aliquod Sacramentum à Deo constitutum fuisse, vel hominibus licere Sacramenta cudere nobis fuerit ex Dei verbo demonstratum: quanuis maximū esse pondus precū Ecclesiæ pro pastore suo ministerium ineunte Deū Opt. Max. interpellantis, minimè inficiemur, vt qui verum id esse reipsa quotidie experiamur. Sed perlepidus est in primis Harchius iste noster, qui postquam Pontificios vt omnis ordinis Apostolici & veteribus etiam Canonibus constituti, manifestos violatores atq; adeò hæreticos appellauit, nihilominus successionem Apostolicā in eis agnoscit, tanquā saltem successionem Apostolicam redolentibus, & secessum à Romana, id est, Antichristiana & Christi fundamētum tollente Pseudecclesia sine exceptione non probat. Quasi verò ex omnibus veterib. etiam canonibus non apertè statuatur eius ordinatio irrita & quidem graui cum anathemate, vt

ipsemet Harchius citat, eorum omnium, qui contra Apostolicam regulam fuerint electi, aut sese vltro ad obeundam Ecclesiasticam functionem obtruserint. Eat igitur Harchius cum suis assecl is omnib. & habeat pro Ecclesia cœtum à quo expulsus est verus Christus totius veræ Ecclesiæ caput, & in quo nullum ab ipso Papa ad vltimum clericum inuenire possis, qui Christum habeat suæ vel doctrinæ vel functionis auctorem. Nos autem in vera veri Christi confessione & vera eiusdem Ecclesia, aduersus quam inferorum portæ nunquã prævalebunt, Deo fauente, pergemus, cui gloria sit in æternum. Amen.

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pagina. 5. lege industria. p. 66. dicamus. ibid. post, Qui corpus Christi realiter, lege absq; pane. p. 70. l 4. dele caro. p. 71. l. 11. dele existimare. p. 76. ἀκατάκριτος. p. 85. discerpenda.